



Bodleian Libraries

UNIVERSITY OF OXFORD


This book is part of the collection held by the Bodleian Libraries and scanned by Google, Inc. for the Google Books Library Project.

For more information see:


<http://www.bodleian.ox.ac.uk/dbooks>



This work is licensed under a Creative Commons Attribution-NonCommercial-ShareAlike 2.0 UK: England & Wales (CC BY-NC-SA 2.0) licence.







B

H. DESSAIN A MALINES,
IMPRIMEUR DU SAINT-SIÈGE, DE LA SACRÉE CONGRÉGATION DE LA PROPAGANDE
ET DE L'ARCHEVÊCHÉ.

BENZIGER, BROTHERS, 56 ET 58, BARCLAY STREET A NEW-YORK.

مارماترا ه مطبة تل
? ممدنا منب انم
ملافا

SANCTI EPHRAEM SYRI

HYMNI ET SERMONES.

3 VOLUMES IN-4 A DEUX COLONNES, IMPRESSION ROUGE ET NOIRE, TEXTE
SYRIAQUE ET TRADUCTION LATINE AVEC VARIANTES ET NOTES.

PRIX : 65 FRANCS. = £ 2/15/-

PROSPECTUS.

Le grand travail que Mgr. Lamy, professeur d'Ecriture sainte et de langues sémitiques à l'Université de Louvain a entrepris sur S. Ephrem est maintenant achevé. Le troisième volume contenant XL-1010 col. vient de paraître.

S. Ephrem, diacre de l'Eglise d'Edesse († 373), est, sans contredit, le plus grand écrivain qu'ait, jusqu'ici, produit l'Orient chrétien. Contemporain de S. Basile et de S. Athanase, plus ancien que S. Jean Chrysostôme, que S. Jérôme et que S. Augustin, il occupe dans l'Eglise syrienne le même rang que ces grands docteurs occupent dans l'Eglise latine et dans l'Eglise grecque. Ses commentaires sur les Ecritures se distinguent par leur concision et leur exactitude à expliquer le sens littéral selon la méthode de l'Ecole d'Antioche; ses discours sont aussi remarquables par leur éloquence entraînant que par la sublimité de la doctrine; ses hymnes, extrêmement nombreuses, contiennent une poésie inimitable, tantôt gracieuse, tantôt sublime, tantôt plaintive, selon les sujets, toujours orientale et biblique, qui n'a

KEGAN PAUL, TRENCH, TRÜBNER & CO., LIMITED

rien d'analogue dans nos poésies occidentales. Tous les dogmes du symbole, toutes les vertus chrétiennes, toutes les fêtes de Notre-Seigneur, de la Sainte Vierge et des Saints, sont revêtus par le chantre d'Edesse des charmes d'une poésie qui a quelque chose de divin. On ne s'étonnera donc pas que les Syriens prodiguent à S. Ephrem les titres les plus pompeux : « Colonne de l'Eglise d'Orient, » « Soleil des Syriens, » « Harpe de l'Esprit saint. » On ne s'étonnera pas davantage qu'ils aient inséré les plus belles de ses poésies dans leurs offices liturgiques. « En peu de temps Ephrem arriva à une telle célébrité, dit S. Jérôme, qu'on lisait dans quelques Eglises ses écrits après les saintes Ecritures. De son vivant ils furent traduits en grec, et l'ouvrage commencé fut continué après sa mort. » Des Grecs les écrits de S. Ephrem ont passé aux Latins. Ils ont été traduits en arménien, en arabe, en copte, en éthiopien, en un mot, dans toutes les langues de l'Orient chrétien.

Mgr Lamy a entrepris de recueillir et d'éditer les œuvres syriaques inédites de ce grand docteur qui se trouvent dans les grandes bibliothèques d'Europe. Au texte original il a joint une traduction latine, des notes, des variantes et des dissertations.

Le premier volume, qui a paru en 1882 et dont le Souverain Pontife a bien voulu accepter la dédicace, contient : 15 hymnes sur l'Epiphanie ; 3 discours sur Notre-Seigneur, contre le vice, et sur la pécheresse ; 8 discours pour la Semaine sainte : sur la dernière Cène, la Passion et Résurrection ; 15 hymnes pour le Jeudi saint, et 8 hymnes pour le Vendredi saint.

Le deuxième volume n'est pas moins important. Nous y trouvons d'abord *les Actes* de S. Ephrem tirés d'un manuscrit de Paris avec des notes et dissertations accompagnant le texte. C'est une nouvelle vie du Docteur Syrien qui redresse ce que les précédentes avaient d'erroné. Viennent ensuite quatre *sermons* ou exhortations d'une éloquence très élevée sur la vanité des choses qui passent, sur la fuite du vice et sur les châtiments qui l'attendent, enfin sur les sortilèges et le jugement dernier. Le reste du volume comprend huit hymnes très importantes sur la fête de Noël, vingt hymnes sur la Sainte Vierge ou la maternité divine de Marie, sa virginité perpétuelle, sa sainteté sans tache, son intercession toute puissante, sont chantées avec une poésie toute orientale qu'il est difficile d'égaliser. Les douze hymnes sur le carême montrent les qualités ascétiques du St Docteur et forment une exhortation touchante à la pénitence ; enfin les trente-quatre hymnes sur les miracles du Sauveur et sur les différents sujets ne sont ni moins importants ni moins instructifs.

Le troisième volume qui vient de paraître s'ouvre par une dissertation sur la poésie et la métrique des Syriens. L'auteur indique le rythme et le mètre des discours et des hymnes de S. Ephrem, ce qui n'avait pas encore été fait. Il discute d'après les manuscrits la valeur des *Seblata* et des *Ba'vata* et montre ce qu'il faut en penser. Il donne ensuite ce qu'il a pu retrouver dans les manuscrits de Londres et de Dublin et dans le bréviaire chaldéen des discours sur les Rogations. Viennent ensuite un discours éloquent sur le jugement dernier et la rétribution des bons et des méchants et un discours sur l'Antechrist où nous trouvons un portrait remarquable des mœurs des Huns qui ravagèrent Edesse au temps d'Ephrem. L'auteur

y a joint trois petites pièces, entr'autres, un hymne sur la Trinité où la procession du S. Esprit *a Filio* est affirmée. A ces opuscules succède un des plus beaux ou peut-être le plus beau poème que nous aît laissé l'antiquité chrétienne, c'est un poème en dix chants sur la jalousie ou Joseph vendu par ses frères. Le reste du volume nous donne successivement dix-huit hymnes sur les martyrs et les confesseurs, sur les Machabées, quinze sur Abraham Kidunaia, vingt-quatre sur S. Julien Saba, cinq sur les quarante martyrs de Sébaste, trois sur la restauration des églises et deux sur l'annonciation. La lettre suivante que le Souverain Pontife a adressée à l'auteur après l'apparition du premier volume nous dispense de tout éloge.

*Litteræ Suæ Sanctilitatis ad auctorem missæ post editum
primum tomum.*

LEO PP. XIII.

Dilecte Fili, Salutem et Apostolicam Benedictionem. Acceptissimum habuimus, Dilecte Fili, munus prioris voluminis ineditorum operum sancti Ephræm a te Nobis oblatum, quo thesaurum auxisti doctrinæ a sanctis Patribus Ecclesiæ relictum. Et id quidem peropportune prorsus ad hæc tempora; quæ perturbata volvuntur ubique a coacervatis præteritarum omnium ætatum erroribus, et fœdata a colluvione vitiorum inde manantium. Nam Edesseni Diaconi scripta, in Occidente non minus quam in Oriente celebrata, non solum aptissima prædicabantur a sancto Gregorio Nysseno conterendis antiquis, coæqualibus hæresibus, sed ipsa indole et varietate sua sunt ejusmodi ut diversis hominum conditionibus et adjunctis accommodata, roborant fidem, cupiditates coerceant, regant mores, ingerant humilitatem, caritatem succendant, animos ad virtutem informant: unde factum esse scimus ut olim compluribus in Ecclesiis, post Sacras Scripturas, opera sancti Ephræm publice legi solerent. Commendandum itaque summopere ducimus, te genuinas sancti Doctoris lucubrationes adhuc in accuratissimis quoque editionibus desideratas, omni studio conquirere et vulgare, tum in Ecclesiæ decus, tum in spirituale fidelium emolumentum. Tibique ominamur, ut copiosissime tuo labore assequaris utilitatem, alias e publica eorumdem scriptorum lectione speratam; inceptoque tuo Deum propitium omnino precamur. Cujus interim favoris auspicem Apostolicam Benedictionem paternæ Nostræ benevolentia pignus, tibi Dilecte Fili, peramanter impertimus — Datum Romæ apud S. Petrum die 17 Julii 1882. Pontificatus Nostri Anno Quinto.

s. LEO PP. XIII.

ܘܥܘܪܐ ܡܫܟܐ ܘܥܘܪܐ ܢܫܐܢܐ ܨܨܒܐ . ܘܥܘܪܐ
 ܘܥܘܪܐ ܘܥܘܪܐ ܘܥܘܪܐ ܢܨܨܒܐ . . . ܘܥܘܪܐ ܘܥܘܪܐ
 ܕܗܘܐ ܗܘܐ ܨܨܒܐ ܘܥܘܪܐ ܗܘܐ . ܘܥܘܪܐ ܘܥܘܪܐ
 ܘܥܘܪܐ ܗܘܐ . ܘܥܘܪܐ ܘܥܘܪܐ ܘܥܘܪܐ ܗܘܐ ܘܥܘܪܐ

ܘܥܘܪܐ ܘܥܘܪܐ ܘܥܘܪܐ ܘܥܘܪܐ ܘܥܘܪܐ .
 ܘܥܘܪܐ ܘܥܘܪܐ ܘܥܘܪܐ ܘܥܘܪܐ ܘܥܘܪܐ ܘܥܘܪܐ .
 ܘܥܘܪܐ ܘܥܘܪܐ ܘܥܘܪܐ ܘܥܘܪܐ ܘܥܘܪܐ .
 ܘܥܘܪܐ ܘܥܘܪܐ ܘܥܘܪܐ ܘܥܘܪܐ ܘܥܘܪܐ . ܘܥܘܪܐ
 ܘܥܘܪܐ ܘܥܘܪܐ ܘܥܘܪܐ ܘܥܘܪܐ ܘܥܘܪܐ ܘܥܘܪܐ

ܘܥܘܪܐ ܘܥܘܪܐ ܘܥܘܪܐ ܘܥܘܪܐ ܘܥܘܪܐ . ܘܥܘܪܐ
 ܘܥܘܪܐ ܘܥܘܪܐ ܘܥܘܪܐ ܘܥܘܪܐ ܘܥܘܪܐ ܘܥܘܪܐ .
 ܘܥܘܪܐ ܘܥܘܪܐ ܘܥܘܪܐ ܘܥܘܪܐ ܘܥܘܪܐ ܘܥܘܪܐ .
 ܘܥܘܪܐ ܘܥܘܪܐ ܘܥܘܪܐ ܘܥܘܪܐ ܘܥܘܪܐ ܘܥܘܪܐ .
 ܘܥܘܪܐ ܘܥܘܪܐ ܘܥܘܪܐ ܘܥܘܪܐ ܘܥܘܪܐ ܘܥܘܪܐ

ܘܥܘܪܐ ܘܥܘܪܐ ܘܥܘܪܐ ܘܥܘܪܐ ܘܥܘܪܐ ܘܥܘܪܐ .
 ܘܥܘܪܐ ܘܥܘܪܐ ܘܥܘܪܐ ܘܥܘܪܐ ܘܥܘܪܐ ܘܥܘܪܐ .
 ܘܥܘܪܐ ܘܥܘܪܐ ܘܥܘܪܐ ܘܥܘܪܐ ܘܥܘܪܐ ܘܥܘܪܐ .
 ܘܥܘܪܐ ܘܥܘܪܐ ܘܥܘܪܐ ܘܥܘܪܐ ܘܥܘܪܐ ܘܥܘܪܐ .
 ܘܥܘܪܐ ܘܥܘܪܐ ܘܥܘܪܐ ܘܥܘܪܐ ܘܥܘܪܐ ܘܥܘܪܐ

ܘܥܘܪܐ ܘܥܘܪܐ ܘܥܘܪܐ ܘܥܘܪܐ ܘܥܘܪܐ ܘܥܘܪܐ .
 ܘܥܘܪܐ ܘܥܘܪܐ ܘܥܘܪܐ ܘܥܘܪܐ ܘܥܘܪܐ ܘܥܘܪܐ .
 ܘܥܘܪܐ ܘܥܘܪܐ ܘܥܘܪܐ ܘܥܘܪܐ ܘܥܘܪܐ ܘܥܘܪܐ .
 ܘܥܘܪܐ ܘܥܘܪܐ ܘܥܘܪܐ ܘܥܘܪܐ ܘܥܘܪܐ ܘܥܘܪܐ .
 ܘܥܘܪܐ ܘܥܘܪܐ ܘܥܘܪܐ ܘܥܘܪܐ ܘܥܘܪܐ ܘܥܘܪܐ

6. Collum ejus susceperat jugum monachale. Oportebat autem ut jugo subjicerentur duo boves. Bos enim laborans quærit socium sibi congruum. Martyri propter Dominum combusto junctus est Saba (senex) qui triumphavit propter Jesum.

7. Exurge, terra nostra, adimple vota tua in festis tuis. Ecce in te velut tubæ resonant festa Gurisë, Habibi et Samonæ; tibi autem additus est inclytus Saba, cujus tuba personans novum cætum tibi canit.

8. Millia linguarum celebrent terram nostram, in qua peregrinati sunt Abraham et filius ejus Jacob, Sara et Rebecca, Lia et Rachel et undecim capita tribuum (Israel). E thesauro tuo per filios Jacob ditata est Sion.


9. Nomen nostræ regionis majus est nomine sororis suæ: in ea enim natus est Levi, caput sacerdotum, et Judas, caput regni, et Joseph adolescens qui castus fuit et factus est Ægypti dominus. Luce tua illuminatus est orbis.

10. Sol enim novus, qui ortus est in mundo, e Juda qui natus est in terra nostra descendit, et in terra nostra apparuit, transmissa est atque effulsit lux ejus e Bethleem. E te effulsit initium, per te ditetur finis¹.

¹ Necrosymorum canon V (*Opp. Syr.-lat.* III, 230-231) compositus est e strophis selectis e quatuor prioribus hymnis de Juliano Saba, nempe: e

stropha 1^a-3^a hymni 1ⁱ, e 12^a hymni 2ⁱ, e 1^a hymni 3ⁱ, e 1^a et 13^a hymni 4ⁱ.

a B — b ܘ — c ܘܥܘܪܐ



ha
مقدمة مطبوع
مقدمة مطبوع
مقدمة مطبوع

SANCTI EPHRAEM SYRI
HYMNI ET SERMONES,

QUOS E CODICIBUS LONDINENSIBUS,
PARISIENSIBUS ET OXONIENSIBUS DESCRIPTOS EDIDIT,
LATINITATE DONAVIT, VARIIS LECTIONIBUS INSTRUXIT, NOTIS ET PROLEGOMENIS ILLUSTRAVIT

THOMAS JOSEPHUS LAMY

ECCL. CATH. NAMURC. CAN. HON., S. THEOL. DOCT., ORD. LEOP. EQUES, ACADEM. REG.
BRUX. SOCIUS, S. SCRIPT. ET LINGG. SEMITT. IN UNIVERSIT. CATH. LOVAN. PROF.
ORD., ET COLL. MAR. THER. PRÆSES.

TOMUS I.


MECHLINIÆ,

H. DESSAIN, SUMMI PONTIFICIS, S. CONGREGATIONIS DE PROPAGANDA FIDE
ET ARCHIEPISCOPATUS MECHLINIENSIS TYPOGRAPHUS.

M. D. CCC. LXXXII.

TOUS DROITS RÉSERVÉS.

Jeru 9. 1929



SANCTI EPHRAEM SYRI

HYMNI ET SERMONES.

سارماتر هطبتار
بمحدث من الفنر
ملافا

SANCTI EPHRAEM SYRI
HYMNI ET SERMONES,

QUOS E CODICIBUS LONDINENSIBUS,
PARISIENSIBUS ET OXONIENSIBUS DESCRIPTOS EDIDIT,
LATINITATE DONAVIT, VARIIS LECTIONIBUS INSTRUXIT, NOTIS ET PROLEGOMENIS ILLUSTRAVIT

THOMAS JOSEPHUS LAMY

ECCL. CATH. NAMURC. CAN. HON., S. THEOL. DOCT., ORD. LEOP. EQUES, ACADEM. REG.
BRUX. SOCIUS, S. SCRIPT. ET LINGG. SEMITT. IN UNIVERSIT. CATH. LOVAN. PROF.
ORD., ET COLL. MAR. THER. PRÆSES.



TOMUS I.

MECHLINIÆ,

H. DESSAIN, SUMMI PONTIFICIS, S. CONGREGATIONIS DE PROPAGANDA FIDE
ET ARCHIEPISCOPATUS MECHLINIENSIS TYPOGRAPHUS.

M. D. CCC. LXXXII.

TOUS DROITS RÉSERVÉS.

IMPRIMATUR.

Opus quod inscribitur : *Sancti Ephraem Syri Hymni et Sermones quos e codicibus Londinensibus, Parisiensibus et Oxoniensibus descriptos, edidit, latinitate donavit variis lectionibus instruxit, notis et prolegomenis illustravit* THOMAS JOSEPHUS LAMY, *Eccl. cath. Namurc. Can. hon., S. Theol. Doct., Ord. Leop. Eques, Academ. Reg. Brux. Socius, S. Script. et Lingg. Semit. in Universit. cath. Lovan. Prof. Ord., et Coll. Mar. Ther. Præses*, ex auctoritate Eminentissimi Cardinalis Archiepiscopi Mechliniensis et legum Academiæ præscripto recognitum, quum fidei aut bonis moribus contrarium nihil continere visum fuerit imprimi potest.

Datum Lovanii, die 21 Martii 1882.

C. PIERAERTS, RECT. UNIV.

SANCTISSIMO AC BEATISSIMO PATRI

LEONI XIII.

Ecce sub auspiciis SANCTITATIS TUÆ publicam in lucem prodit tomus primus Operum Syriacorum Sancti Ephræmi, quæ hucusque in Codicibus Londinensibus Parisiensibus et Oxoniensibus delitescabant. Ab Oriente et Ægypto iterum in Europam profectus, præclarus Syrorum doctor suos de Epiphania, de Sacra Cœna, et de Crucifixione hymnos, sermonesque de Domino, de admonitione et pœnitentia, de muliere peccatrice, aliosque octo de Christi passione et resurrectione pro hebdomada Sancta e Codicibus præsertim Nitriensibus profert, et ad pedes tuos venerabundus deponit, ut suo merito notus et fretus Tuo illo nomine, quod omnes, etiam illi qui a vera fide separati sunt, tanquam salutis et pacis publicæ tutissimum contra socialismi et nihilismi impetus præsidium venerantur, dignam sua pietate et doctrina hospitalitatem apud omnes, pro hoc tomo et pro iis, qui secuturi sunt, nanciscatur.

Est enim non mediocris ingenii vir S. Ephraem Syrus, quem Nisibis genuit, Edessa diaconum habuit, quem magistrum salutant non solum Orientales cujuscumque nationis, sed et Græci, licet doctorum suorum studiosissimi, quem S. Gregorius Nyssenus insigni encomio ornavit, quem S. Hieronymus post lectionem Scripturarum

in nonnullis Ecclesiis legi consuevisse testatur, quem Syri omnes, tum Orthodoxi, tum Nestoriani, tum Monophysitæ, propter eloquentissimos sermones, elegantissima carmina, admirandam doctrinam, solertissimum in profligandis hæreticis ingenium atque eximiam in scriptis asceticis pietatem compunctione conditam, « Columnam Ecclesiæ, » « Solem Syrorum » et « Spiritus sancti Citharam » appellant, cujus denique hymni in festâ Domini nostri Jesu Christi, in beatam et immaculatam Virginem, in sanctos et defunctos, in officiis divinis Syrorum quotidie decantantur.

Ut, TE AUSPICE, hæc prodirent non una ratio suadebat. Noveram quippe concivem meum Gerardum Vossium Borchlonium, Tongrensem præpositum, Gregorio XIII Pontifice, sive suadente sive jubente, præclaram operam navasse in colligendis atque e græco in latinum sermonem vertendis operibus S. Ephræmi, eaque tribus voluminibus in-folio latine edidisse sub auspiciis summorum Pontificum Sixti V et Clementis VIII, qui Pontificum favor mox tantam apud omnes benevolentiam Ephræmo conciliavit, ut vix primo volumine typis vulgato, Ephræmi sermones omnium manibus passim tererentur, atque in locis piis et Collegiis Urbis tempore mensæ legerentur et voluerint ipsi Pontifices aliquid ex eis sibi prælegi. Quum autem, Clemente XI rem promovente, reperti fuissent in monasterio Syrorum Virgini Deiparæ nuncupato, quod in Nitriensi Ægypti deserto usque hodie subsistit, codices antiquissimi syriacos Ephræmi in Scripturam commentarios hymnosque de Ecclesia, de fide adversus hæreses, de libero arbitrio, de paradiso Eden et de Nativitate Domini, et cantus in defunctos atque paræneses de pœnitentia et sermones varios continentes, doctissimi tres viri Maronitæ, Syrorum lingua valde periti, novam et amplissimam operum S. Ephræmi editionem, iterum sub auspiciis summorum Pontificum Clementis XII et Benedicti XIV,

syriace, græce et latine ediderunt sex voluminibus in-folio. Qui labor tam augusto patrocínio nobilitatus quanto favore ubique fuerit acceptus vix aut ne vix quidem dicendum est.

At nondum exhausti erant S. Doctoris thesauri. Quum igitur qui remanebant in cœnobio Syrorum Scetensi squalore et pulvere obsiti codices ab Anglis, paucis ab hinc annis, empti, multa adhuc inedita diaconi Edesseni scripta secum in Musæum Britannicum invexissent, et præclara quædam jam exinde duo viri docti protulissent, mihi visus sum rem nec ingratham nec inutilem facturum, si quæcumque inde et aliunde colligere possem Ephræmi scripta adhuc inedita in lucem proferrem, versione latina et aliis subsidiis criticis instruerem, atque ad exemplum antecessorum meorum nomini Tuo dicarem.

Quod patrocinium ut invocarem alia impellebant incitamenta : nempe maxima tua in Ecclesias Orientales sollicitudo ac providentia, quam declarasti data celebri illa Epistola Encyclica de SS. Cyrillo et Methodio, quæ gaudio et honore perfudit slavonicas gentes, quam recentius confirmasti quando Sacro Cardinalium Collegio annumerasti strenuissimum ac de Sancta Sede meritissimum Armenorum patriarcham, quam rursus nuperrime significasti, quum, anno proxime elapso, existi in urbe Beryti, pro nationibus Orientis, Catholicam litterarum Universitatem. Utinam his omnibus beneficiis commotæ gentes illæ, quæ tamdiu ab unitatis centro divulsæ languescunt, tandem intelligerent ipsis ad unionem cum suprema Romana Sede redeundum esse ut reviviscere et reflorescere valeant. Utinam meditentur illæ hanc præcipui sui Doctoris doctrinam, quam ipse in sermone de Institutione Sacramenti Eucharistiæ asserit, in ore Christi hæc verba ponens : « Simon, discipule mi, ego te constitui fundamentum Ecclesiæ sanctæ, Petram vocavi te antea quia tu sustinebis totum ædificium, tu es inspector

eorum qui ædificant mihi Ecclesiam in terris; si quid reprobum ædificare velint, tu fundamentum reprimas eos, tu es caput fontis a quo hauritur doctrina mea, tu es caput discipulorum meorum, per te omnes gentes potabo; tui est suavitas illa salvifica quam largior; te elegi ut sis in mea institutione velut primogenitus et hæres efficiaris thesaurorum meorum; claves regni mei dedi. Ecce principem te constitui super omnes meos thesauros. »

Urgebat autem maxime summa illa benevolentia ac propensa voluntas quam statim ab initio tui pontificatus in omnes Belgii fideles declarasti, et non semel postea, imo recentissime peregrinis Belgis iterasti; præsertim urgebat peculiaris tua dilectio erga Universitatem catholicam Lovaniensem, in qua professoris ac Collegii Mariæ Theresiæ rectoris munere fungor, urgebat denique sagacissimus ille pro diffundenda defendendaque veritate zelus, quo in nostra Academia scientias omnes, speciatim vero philosophicas, fovere studes.

Ego igitur ad pedes Sanctitatis tuæ provolutus benedictionem apostolicam pro me, meisque operibus et collegio, cui jam ab annis viginti tribus præfectus sum, enixe rogo

SANCTITATIS TUÆ

HUMILLIMUS ET OBEDIENTISSIMUS FILIUS

THOMAS JOSEPHUS LAMY.

PRÆFATIO.

Quibus rationibus motus, quo etiam consilio ductus me ad perquirenda edendaque S. Ephræmi opera inedita accinxerim operis in limine declarare nec ingratum puto fore lectoribus nec inutile.

Quum studio linguæ syriacæ incumberem, legenda assumpsi S. Doctoris opera syriaca, Romæ, sæculo elapso, a doctissimis Maronitis ex antiquissimis codicibus Nitriensibus edita. Scriptoris Syri fama, sicut neminem latet, ita nec mihi ignota erat. Statim autem ac sermones metricos hymnosque ac commentaria per aliquod tempus delibassem, perspexi, quod nec fugit legentes scripta ejus latine vel græce, ut jamdiu Hieronymus, Theodoretus et Sozomenus animadverterunt, Diaconum Edessenum exegetam esse, ascetam, apologetam ac poetam acumine ingenii, doctrina, eloquentia, arte dicendi inter orientales nulli secundum, nec græcis aut latinis inferiorem. Scripta ejus ascetica ubique locorum nota sunt et non solum græce, latine, arabice, slavonice, ægyptiace, armenice translata, sed et in linguis vulgaribus gallica, anglica, germanica, italica expressa.

Indolem scriptorum asceticorum Ambrosius, monachus Camaldulensis, egregie in præfatione suæ translationis latinæ depinxit hisce verbis quæ recitari merentur : « Peregrinum nuper offendi e Syria profectum ad nos, ætate longævum, statura procerum, sed jam senio incurvum, vultu placidum atque decorum, aspectu ipso denique et habitu sanctitatis insignia præ se ferentem, suffusum oculis lacrymas : sed ita ut ex eo ori, et nihil dignitatis detractum, et plurimum auctoritatis et gratiæ videretur adjectum... Captus tanta oris gratia et dignitate ardebam eum alloqui, ejusque familiari frui contubernio, sperans id, quod erat sane verissimum, ex ejus colloctione me et utilitatis plurimum et voluptatis percepturum. Posita itaque paulisper verecundia, accedo propius senemque officiosissime saluto... Ubi consedimus, ab ipso statim sermonis exordio animadverti senem meum divinarum rerum peritissimum, flagrantem eximiæ pietatis affectu, ardore divinæ charitatis incensum, sollicitum, intentum, pervigilem, torporem atque

Scriptorum asceticorum indoles.

desidiam omni sermone lacessentem, compunctionis amicissimum, id quod illæ ejus adeo illustres lacrymæ haud obscure significabant, remissionis ac noxiæ securitatis inimicum, lenem, placidum, mitem, vitia ubique resecantem, laudantemque virtutes, affectus denique nostros ad amorem Dei sæculique contemptum, atque ad ambienda æterna præmia, formidandaque supplicia potentissime remonentem. Deus bone, quid gaudii, quid solatii, quantumque emolumentum ex hospitis adeo insignis ore percepi, cum me dies ac noctes perpetua oratione alloqueretur. Nihil ejus vel aspectu gratius, vel doctrina salubrius, vel consuetudine charius, jucundius, lætius dici, aut fingi potest¹. »

Multa
quæ scrip-
sit.

Hæc eadem, post Ambrosium, Fr. Zinus et Gerardus Vossius, operum græcorum Ephræmi interpretes, de Syro doctore dixerunt, quum tamen nondum lucem aspexissent nec ejus in totum vetus Testamentum commentaria, neque sermones de fide et ecclesia quibus errores tunc in Mesopotamia grassantes acerrime impugnat, nec hymni fere innumeri in omnes Christi ejusque Matris solemnitates, in martyres et confessores, neque cantus quibus alter Jeremias defunctos deflet, neque ea omnia carmina quæ recentius Bickell, Zingerle, Overbeek, ediderunt aut quæ ego in lucem profero, quid dicturi si hæc omnia ob oculos habuissent, aut gustare potuissent syriacæ illius poeseos suavitatem, sublimitatem, leporem et incomparabile artificium, in qua nihil profanum, nihil fucatum, sed omnia sacram doctrinam spirantia, ita ut reapse impleta fuerit visio, quæ ipsi infanti contigit, quum sibi per somnium visa est excrescere vitis, quæ omnem sub cælo regionem replebat et innumeros frondes ac botros producebat, quibus sermones et hymni designabantur.

Com-
mentarii
in sacram
Script.

Dum Scripturarum agit interpretem, Ephræmus, ut Joannes Chrysostomus ac Theodoretus, scholæ Antiochenæ methodum sequitur et totus est in eruendo litterali sensu, quem brevissimis scholiis exponit; allegoricas autem interpretationes, quas ubique prosequuntur scholæ Alexandrinæ magistri Philo et Origenes, silentio premit, etsi omnem non rejiciat spirituales sensum, sed e contra mystice plura explicet, at ibi tantum ubi gravis aliqua ratio talem sensum litteræ inesse suadet. P. Benedictus scholia Ephræmi in vetus Testamentum e catena sæculo IX a Severo monacho Edesseno confecta eruit. Ex alio ejusdem catenæ codice alia quæ in editione romana desunt edituri sumus.

¹ Præf. in suam opusculorum Ephræmi versionem.

Exegetici ejus sermones magnam habent cum homiliis S. Joannis Chrysostomi similitudinem nec eloquentia aut doctrina ipsi sunt inferiores. Infra, sermo erit de sermonibus in Dominum, in peccatricem, in hebdomadam sanctam, ex quibus quodnam sit Diaconi Edesseni genus dicendi magis patebit. Hisce exegeticis scriptis annectendi sunt ^{Hymni de paradiso.} hymni quindecim de Paradiso terrestri, quorum duodecim in editione romana syriace et latine edita sunt, tres reliqui ab Overbeek syriace tantum nuper prodierunt. Tota collectio ex duobus codicibus, quorum unus anno 519, alter anno 522 scriptus est, descripta est. In hisce hymnis S. Doctor poetice, variis sub imaginibus, ad populi captum paradysum Eden describit, ita ut simul de cœlesti paradiso agat. Nec hymnis necrosimis contradicit, quando hic affirmat animas fidelium Paradisi deliciis non fruituras ante judicii diem; nam mens ejus est, perfecta tantum beatitudinis plenitudine, cujus etiam consors ac particeps fit corpus, beatas nunc animas carere. Hanc ejus esse sententiam ex eo constat, quod tam in laudatis necrosimis, quam in collectione nisi-bena et alibi sexcentis in locis præsentem justorum beatitudinem in cœlis agnoscit et prædicat¹.

In hymnis autem quinquaginta sex adversus doctrinas falsas seu ^{Hymni adversus hæreses et de fide.} hæreses et in hymnis octoginta septem de fide seu adversus scrutatores, christianorum dogmatum vindex fit acerrimus, et Marcionem, Bardesanem, Manetem, Aëtium, Anomæos, Judæosque ac Chaldæos undique exagitat, ductis metaphoris, similitudinibus et argumentis tum ab utriusque Testamenti scripturis tum ab humana ratione et rebus creatis.

Et in hymnis seu odis quidem adversus falsas doctrinas per quindecim primos hymnos Chaldæos exagitat: « Si, inquit, chaldæus ex astris discit et revelat quæ ego feci et facturus sum, si fato liberum regitur arbitrium, debet similiter nosse quæ dixi et dicturus sum; etenim si fatum omnia moderatur, nec ista illud latere debent. At si humana voluntas sui arbitra est et verba ejus sub fato non cadunt, cur non possit cætera quæ vult pariter agere? Ceterum si fati dispositione infantes cæci nascuntur, cur non item reges suis ornati insignibus? » Pergit variis argumentis perstringere mathematicos, ostendit ex Josue et Isaïæ miraculis Deum soli et astris imperare, et sidera sicut ceteras creaturas voluntati Dei, cui nihil resistit subjici. « Si fato, inquit, omnia reguntur, ad quid feruntur leges, ad quid decreta? Cur crimina puniuntur? Cur virtus remuneratur? Cur preces funduntur?

¹ Vid. Steph. Evod. Assemanum, *Opp. Syr.* III, præf. XXI; Bickell, *Carmina Nisibena*, Carm. 47, 3, 45; 61, 6; 69, 19; 71, 1.

Quomodo Christus fatum superavit, ejusque leges devicit? Si fato nihil resistit, horoscopia nunquam mentiri necesse est. Si autem aliquando mentiuntur, agnoscendum est terram, mare, non fato sed Deo subjeci hominemque ab eo libere regi. » De libero arbitrio plures scripsit hymnos quibus doctrinæ pseudo-reformatorum sæculi XVI egregie convelluntur. Deinde S. Doctor probat unum existere principium, cujus potenti et sapienti voluntate omnia creata sunt, substantiæ spirituales lux ac tenebræ et caro; tenebras igitur non esse in se malas, sed omne malum a libera hominis voluntate provenire. Quæ omnia orientali ac exornatissimo stylo evolvit. Postquam Bardesanem, Marcionem et Manetem a ratione confutavit, illos ex Scripturis exagitat, et simul probat unum existere Deum summe potentem, bonum ac justum qui omnia creavit, hominem lapsum per Filium suum incarnatum erexit, et afflictiones aliaque mala in ejus salutem ordinat; quæ dum S. Doctor evolvit simul varia christianæ fidei dogmata et sacramenta, illud imprimis Eucharistiæ, asserit.

Eundem prorsus se præstat Ephræmus in hymnis octoginta septem de fide adversus scrutatores seu hæreticos Aëtianos, Eunomianos aliosque qui in Mesopotomiam hæresim arianam invexerant. Simul autem dum fraudulentas arianorum doctrinas convellit, elegantissimis versibus alte ac facundissime disserit de natura Dei incomprehensibili et augustissima Trinitate, quod mysterium pro humani ingenii viribus petitis ab Orientis natura, præsertim a nitidissimo illic sole ac luce similitudinibus ductisque argumentis a forma baptismi et a natura summi boni maxime autem a Scripturis, modo quam persuasorio explicat divinitatemque et temporalem Verbi generationem astruit; ita ut nescias quid magis mirandum sit: aut tam venustam orationem in homine disciplinis græcis non exulto, aut tam sublime et acutum ingenium in monacho precibus continuo vacante. Omnes isti hymni ab editoribus Romanis ex antiquissimis sæculi VI codicibus editi fuerunt, eorumque auctoritas valde confirmatur ex codicibus sæculi V et VI qui in Musæo Britanico reponuntur. Ex hisce codicibus varias collegi lectiones tonosque ad quos hymni decantandi erant. Quod Romani editores cum responsoriis omiserunt.

Cantus
de defun-
ctis.

Ejusdem generis sunt quæ Syrorum Sol contra Judæos in Mesopotomia grassantes et contra Juliani impietatem scripsit. At alia prorsus se habet ratio cantuum seu elegiarum quæ S. Doctor scripsit in defunctos. Condidit quippe hæc necrosima exitus amicorum non minus morte, quorum laudes versuum varietate texuit, quam extremi judicii

recordatione, cujus acerbitas semper ipsi ante oculos obversabatur. Ejus vero animum ad id operis inflammavit ac prope rapuit Aëtii hæresis, qui exequiarum decimas persolvendas esse negabat, ut testes sunt Epiphanius *hær.* 75 et Augustinus *hær.* 53. Eorundem hymnorum, qui octoginta quinque sunt, uno supra triginta utuntur Syri partim in officiis mortuorum, partim in officio seriali. In reliquis vero quatuor et quinquaginta agitur de singulis defunctorum gradibus, puerorum videlicet, juvenum, virorum, mulierum, cœnobarum, clericorum, diaconorum, presbyterorum et episcoporum.

In hisce cantibus quatuor sunt memoratu digna : 1^o Ritus exequiarum quem in more habet Ecclesia vetustissimum esse; 2^o Defunctorum animas vix a corporeis vinculis dissolutas, statim ad iudicium accedere; 3^o Earundem, quæ non lethali quidem, sed levi culpa detentæ ab hoc sæculo emigrant, expiationem in igne purgatorio fieri, cujus atrocitas sacrificiis, precibus, piisque fidelium operibus imminuitur; 4^o Demum sanctorum animas ad æternam felicitatem atque angelorum consortium ante extremum iudicii diem vocari¹; quæ ultima veritas extra omnem controversiam ponitur ex iis, quæ de felicitate et intercessione sanctorum habet in hymnis quos de martyribus, confessoribus, Abrahamo Qidunaia et Juliano Saba edituri sumus.

Editores romani cantus et sermones de defunctis ediderunt in tertio volumine *Opp. syr.* e cod. nitr. XVI, sæc. IX et e cod. XVII, cujus ætas non indicatur, sed, quum membranis constet et e cœnobio Scetensi proveniat, vix recentior sit sæculo XII. Editores autem, nescio qua ratione ducti, codicum ordinem non servarunt et cantus alio ordine disposuerunt. Unde forsitan factum est ut idem cantus bis in editione habeatur; sic canon 65 non est nisi pars canonis 18². Alii cantus non sunt integri : sic canon 62 non est nisi pars hymni nisibeni 74, cui duæ strophæ annexæ sunt ex hymno nisibeno 77³. Hoc idem observare est in omnibus liturgicis codicibus, in quibus hymni Ephræmi pro ecclesiarum variis consuetudinibus plus minusve abbreviati habentur, ut infra dicemus.

Hisce de defunctis cantibus affinis est collectio illa 77 hymnorum Nisibena appellata, quam ꝛ codicibus nitriensibus sexti sæculi in Museo Britannico repositis edidit cl. Bickell⁴. In tredecim primis hymnis agit Ephræmus de variis calamitatibus et bellis quas Nisibeni passi sunt, suis hymnis interserens preces ardentes ad Deum, eosque exem-

¹ Vid. Steph. Ev. Assemanum, *Opp. syr-lat.* III, præf. p. 20. — ² Cfr. p. 264-65 et 332. — ³ Cfr. Bickell, *Carmina Nisibena*, Lipsiæ, 1866, p. 6. — ⁴ *Lib. cit.*

plis et imaginibus e Scriptura petitis exornans et hæreticos confutans qui calamitates a Deo malo immisas volebant. Per octo sequentes hymnos laudes celebrat S. Jacobi nisibeni ejusque successorum Babu, Vologesis et Abrahæ. Exinde ad Edessam et Haran transit, de quibus usque ad hymnum 35^m agit, in quo sanctus Vates incipit agere de Christo, Morte et diabolo. Inducit Satanam, dæmones, mortem et inferos de detrimento sibi a Domino illato inter se colloquentes et conquerentes, ea nocte qua Dominus in horto olivarum orabat. Dæmones occisionem Jesu suadent, sed timore correptus diabolus eam periculi plenam judicat. Tandem decernitur ut diabolus et dæmones ejus Judam Pharisæosque ad Jesum capiendum excitent.

Hymno 42^o lamentatur diabolus de damnis sibi per ossa S. Thomæ illatis. Exinde transit auctor ad probandam mortuorum resurrectionem contra Bardesanem et Manetem, quos hereticos magna argumentorum copia ex Scripturis et rebus naturalibus usque ad hymnum 77^m exagitat, interserens colloquium inter Mortem et diabolum, uter alteri sit potentior; et hic quidem ca'liditatem suam extollit qua omnes in peccatum inducit, illa potentiam suam qua omnes devincit. Quum mors pœnas diabolo ejusque ministris destinatas recensuisse, et ille cum metu finem sui in homines imperii appropinquare confessus fuisset, poeta Mortem inducit homines reprehendentem qui de morte lamentantur et mortuos deflent, pro quibus non flendum sed orandum est. Instituitur colloquium inter Mortem et Hominem, cui sanctus doctor finem imponit asserendo dogma resurrectionis corporum ac æternæ beatitudinis.

Hymni
de Nativitate
et Epiphania.

At præsertim in celebrandis Christi ejusque divæ Matris atque sanctorum festis omnis tenerrimæ, suavissimæ ac sublimissimæ poeseos artificia adhibet. Et primo quidem de annuntiatione agens Mariam angelumque inducit colloquentes : angelus Verbi incarnationem annuntiat, beatissima virgo assensum præbet. Nato autem Christo, sanctus Vates, multiplicatis ac variatis canticis, Salvatorem hominibus in Bethleem datum cum angelis et pastoribus adorat, infinitæ misericordiæ et bonitatis divitias in homines effusas pandit totamque naturam ad gaudium invitat, cum cœlestibus spiritibus canit : « Gloria in excelsis, » totumque incarnationis mysterium explicat et miratur; nimirum, Christum vere Deum simul et hominem unitasque in divina Verbi persona duas naturas, divinam unam, alteram humanam, confitetur, hac ratione retundens, antequam orientur, errores Nestorii et Eutychetis. Quæ desunt in editione romana cantica supplevimus ex codicibus Londinensibus.

Nativitatis dominicæ festum jam inde ab antiquo sequitur Epiphania, qua Ecclesia memoriam celebrat Magorum et stellæ, baptismi Christi atque miraculi in Cana patrati. An Ephræmus memoriam Magorum Epiphaniæ vel festo Nativitatis adjunxerit ex codicibus non ita liquet; totus autem est in iis hymnis, quos codices liturgici servarunt, in celebrando Christi baptismo, cujus circumstantias et rationes eximiis versibus aperit, simul naturam et effectus inculcans sacramenti baptismatis, quo homo a peccatis abluitur et candidis cœlestis gratiæ vestibus induitur. Quindecim hymnos ex codicibus eruimus; quorum nonnulli in ordinibus baptismi Jacobitarum adhuc decantantur. Prolixum porro de Domino sermonem jam a Philoxeno Mabugensi laudatum, quem pro hac solemnitate Ephræmus composuit, e codice perantiquo descripsimus.

Multos etiam sermones hymnosque Syrorum vates composuerat de jejunio quadragesimali cujus fructus et merita describit. « Ecce, inquit, jejunium benedictum, advolemus in occursum ejus. Thesaurus est apertus prudentibus, cordis oblectatio scientibus, mentis nutrimentum sapientibus, triumphus est animæ prudentis et sapientis intellectus. » Nonnulla Ephræmi de jejunio opuscula græce, alia syriace edita sunt. Vetustissimi duo codices nobis quatuor hymnos ex decem quos olim habuerunt subministrarunt, sex alios præbuerunt nonnulli codices liturgici.

At hucusque fere omnia quæ tam multa S. Doctor scripsit in salvificam Christi passionem ac gloriosam resurrectionem abscondita in codicibus latebant. Tres codices Parisienses nobis præbuerunt octo sermones, quorum primus agit de Ecclesia et fide miraculis Christi confirmata. secundus de unctione Christi in Bethania et de præparatione paschatis, tertius de lotione pedum et prodicione Judæ, quartus de institutione Eucharistiæ, quintus et sextus de passione Christi ejusque descensu ad inferos, duo ultimi de resurrectione et apparitione ad Thomam. Anglici autem codices nobis subministrarunt quindecim hymnos ex viginti et uno ab Ephræmo conscriptis in sacramentam et octo alios de crucifixione cum nonnullis de Christi resurrectione. In diversis hisce scriptis Syrorum doctor totam doctrinam de sacramento Eucharistiæ et sacrificio missæ, quo pascha veteris legis et sacrificia abolita sunt, eloquenti sermone et exquisitis versibus exponit. Transit inde ad crucis sacrificium. Dum autem vivis depingens coloribus omnes Christi in passione dolores, summam patientiam, clementiam, mansuetudinem, animi fortitudinem ardentissimumque in

Hymni
de jeju-
nio.

Hymni
et sermo-
nes de pas-
sione et
resurrec-
tione.

homines amorem, ingeniscit, illacrymatur et præ maximo dolore ac tristitia ejulatus emittit totamque creaturam atque angelos de Christi morte in cruce lugentes inducit; simul autem solatur considerans partam exinde hominum salutem, eorum peccata sanguine divino deleta, humanum genus redemptum et cum Deo reconciliatum, novum fœdus in sanguine agni sancitum, inferos spoliatos, et Christum gloriosa sua resurrectione de morte triumphantem et fidem sigillo divinitatis obsignantem.

Hymni
de beata
Virgine.

Notæ sunt piissimæ Ephræmi in Beatam Virginem Mariam preces e codicibus græcis jamdiu editæ. Plurimos in sanctissimam matrem hymnos, etsi, maximam partem, decurtatos, e codicibus syriacis liturgicis deprompsimus. Tenerrimis dulcissimisque hisce canticis divus Vates Mariam proclamat prorsus immaculatam, Dei genitricem, semperque virginem, idcirco fervidis precibus filialique fiducia ejus patrocinium invocat.

Hymni
in San-
ctos.

Similiter et sanctorum cum Christo in gloria regnantium patrocinium multis hymnis invocat, eorum festivitates et memoriam pulcherrimis encomiis exornat, eorum ossa, utpote multis benefica, debita veneratione colenda esse proclamat. Qua in re novatorum doctrinas, duodecim sæculis antequam illæ nascerentur, damnavit. Codices Londinenses nobis præbuerunt hymnos quindecim in Abraham Qidunensem, viginti tres in Julianum Sabam, duos in Machabæos, alios in confessores et martyres. Sunt et hymni in codicibus liturgicis « scalæ » dicti qui simul Beatæ Dei genitricis, martyrum, defunctorum, crucis et resurrectionis memoriam faciunt, de quibus suo loco sermo erit.

Hæc quidem de beati Ephræmi scriptis generatim dicenda erant ut intelligeret lector benevolus quænam rationes me ad laborem quem nunc ipsi offero impulerint. Didiceram scilicet ex catalogo Musæi Britannici multo labore et scientia a cl. D. Wright elaborato¹ sicut et ex catalogo Bibliothecæ parisiensis cura et eruditione cl. D. Zotenberg confecto², nec-non ex catalogo Bibliothecæ Bodleianæ quem doctissimus vir Payne Smith edidit³, multa adhuc recondi in codicibus syriacis harum Bibliothecarum opera S. Ephræmi, quæ lucem nondum aspexerant. Quare rem me facturum tum religioni tum litteris proficuum si omnia quæ undique colligere possem Ephræmi opera ederem, hortantibus viris amicis atque eruditis, Parisios anno 1878 me contuli et

¹ W. Wright, *Catalogue of the syriac manuscripts in the British Musæum*, London, 1870-1872.

² Zotenberg, *Catalogue des manuscrits syriaques de la Bibliothèque nationale*. Paris, 1874.

³ Payne Smith, *Catalogus codicum syriacorum Bibliothecæ Bodleianæ*, Oxonii, 186.

codices Bibliothecæ nationis adivi, humanissime a doctis viris quibus ditissimæ hujus Bibliothecæ cura commissa est acceptus, et pergrato usus hospiti apud religiosos SS. Cordium per integrum mensem excribendis Ephræmi sermonibus de passione operam navavi. Anno 1879 semel et iterum Londinum ad invisendos Britannicos codices me contuli, quod iter duobus annis sequentibus repetitum est. In amplissima igitur illa civitate per integros menses degens, ditissimos Musæi Britannici thesauros et antiquissimos codices syriacos ex deserto Nitriæ illuc asportatos, annuentibus magna cum benevolentia hujus instituti præpositis, diurna manu versavi, et quæ ad meum propositum faciebant quanta potui cura descripsi. Occasionem nactus, omnibus hisce viris qui meos labores foverunt grato animo debitas ago gratias sicut et nobilibus ac præclaris viris, augustissimi Regis Belgici in administrando regno ministris, qui collato subsidio litterariis meis itineribus faverunt et suis officiis effecerunt ut e Bibliothecis Parisiensi et Bodleiana tres Ephræmi codices ad me Lovanium mitterentur et meis curis aliquo tempore crederentur, pro quo beneficio utriusque Bibliothecæ præfctis grates debitas ex animo persolvo.

De ratione et ordine qua editionem adornavimus pauca dicenda habemus. Quando operi manum admovimus, mens erat et est adhuc ^{Editionis ratio.} omnia Ephræmi opera sive jam impressa sive in codicibus syriacis adhuc latentia in lucem edere; at urgebant amici ut absque dilatione typis mandarem quæ collecta erant, ne forsitan mihi illud idem accideret quod aliis evenit et nominatim P. Benedicto, qui morte præreptus non potuit Ephræmi editionem ab ipso inceptam ad finem perducere. Hisce votis cedens, peritissimumque nactus typographum Dessain Mechliniensem, qui suis sumptibus typos syriacos ad opus cudendum illico emit, constitui duo volumina successive prælo subicere, quibus tertium forsitan accedet, si qui delitescunt adhuc diaconi Edesseni commentarii, sermones et hymni aliquando inveniendi sint. Primum volumen exorditur ab hymnis de Epiphania, quia tunc quando prima folia typis mandata sunt non suspicabar, genuinos octo S. Ephræmi hymnos de nativitate Christi in codicibus Britannicis delitescere et multo minus ibi inveniri S. Ephræmi commentarios, ab editoribus romanis omissos in secundam Isaiaë partem et in minores prophetas Jonam, Nahum, Sophoniam, Habacuc et Aggæum quos postea inventos descripsi et in altero volumine editurus sum. Hinc intelligitur quomodo factum sit ut hymni S. Doctoris non sint in uno volumine conjuncti, et sermones in altero.

Methodus.

Hanc autem in edendo textu syriaco methodum secutus sum. Ubi unius ejusdemque sermonis aut hymni plures ad manus codices habui unum elegi quem, quando transcribebam, antiquiorem aut melioris notæ judicavi; hunc accuratissime quantum potui transcripsi, aliorum codicum varias lectiones, quæ saltem alicujus momenti esse videbantur adjeci et ad apographum meum ita dispositum editionem conformavi. Sicubi tamen meo judicio codex mendosus apparuit, lectionem accuratiorum quam alii codices subministrabant in loco mendoso reponere non hæsitavi, lectione prioris codicis infra paginam rejecta.

Multos manu versavi codices quorum descriptio infra habetur. Quum autem isti codices non ad eandem ætatem pertineant, sed alii ad quintum vel sextum sæculum, alii ad octavum vel nonum, alii adhuc recentiores sint, quumque amanuenses qui codices descripserunt non easdem orthographiæ leges servaverint, hinc fit ut non ubique eadem orthographia in mea editione fideliter ad codices expressa habeatur. Imo interdum necesse fuit interpunctionem vel ex aliis codicibus vel meo judicio corrigere et apponere, quia in antiquis codicibus sæpe puncta ita evanuerunt ut amplius legi non possint.

Translatio.

Translationem latinam e regione textus in faciliorem legentium usum apposui. In ea autem concinnanda, etsi puritatem et elegantiam sermonis non esse negligendam ratus essem, in hoc tamen omnes meas curas impendi ut litteræ presse adhærens sensum auctoris fideliter exprimerem ejusque stylum servarem quantum sinit indoles ejusdemque poeseos, præsertim vero syriacæ. Quæ in hac re peccata fuisse aut ego aut docti reperient ad finem operis retractata reperientur. Neminem syriacæ doctum fugit quam difficile sit carmina syriaca sicut hebræa in latinum sermonem transferre. Difficultas adhuc augetur e styli Ephræmiani sublimitate et concinnitate, ex frequenti lusu aut assonantia verborum aliisque ornamentis quæ latine vix aut ne vix exprimi possunt. Errata, si quæ sunt, eo facilius condonabit benevolus lector quod lexica syriaca hucusque non præbent omnia subsidia quæ interpres ab eis postulare posset.

Annotationes.

Annotationes infra textum appositæ vel locos sacræ Scripturæ ab Ephræmo laudatos indicant, vel lectorem ad alia S. Doctoris opera remittunt vel ejus doctrinam, si quid obscurum sit, exponunt. Ad singulos sermones et hymnos codices indicantur unde excerpti sunt. In prolegomenis disseritur breviori quam licuit modo de scriptis Ephræmi ex testimoniis veterum, de versionibus, codicibus et editionibus, denique de authentia et indole sermonum et hymnorum qui in

primo nostro volumine continentur. Dissertationem de Ephræmi vita et actis, deque ejus arte metrica, in quibus multa adhuc dubia et incerta sunt, ad alterum volumen remisimus, expectantes si qua forsan in codicibus hucusque occultata lux affulgeat quæ umbras dissipet.

Scribebam Lovanii die festo S. Josephi 19^o martii 1882.

AUCTOR.

PROLEGOMENA.

I.

TESTIMONIA VETERUM DE SCRIPTIS S. EPHRÆMI.

Syrii omnes, cum orthodoxi tum nestoriani et monophysitæ, uno ore Ephræmum ut præclarissimum suæ gentis scriptorem et doctorem celebrant eumque maximis encomiis exornant; nam et « *magnum syrorum vatem* (ܩܘܘܡܐ ܕܡܘܥܐܢܐ) » et « *syrorum solem* (ܩܘܘܡܐ ܕܡܘܥܐܢܐ) », et « *Columnam Ecclesiæ* (ܩܘܘܡܐ ܕܡܘܥܐܢܐ) », et « *Citharam Spiritus sancti* (ܩܘܘܡܐ ܕܡܘܥܐܢܐ) » eum appellant, quæ appellationes non apud syros scriptores tantum occurrunt, sed in officiis liturgicis quæ quotidie a Jacobitis et Maronitis recitantur¹.

Imo hymni, cantica precesque metricæ in officiis Syrorum Jacobitarum et Maronitarum obvia, magnam partem, e scriptis S. Ephræmi decerpæ sunt. Nec absunt

omnino ab officiis Nestorianorum etsi non tam multa occurrant². Ipsi etiam Græci præcationes Sancti Ephræmi in suis officiis habent. Nec recens est hic usus, sed ab ipso Ephræmi ævo profectus, ut constat e S. Hieronymo. Nondum enim viginti anni a morte Ephræmi effluxerant, quum S. Doctor in libro *De viris illustribus* testabatur Ephræmum mox ad talem claritudinem venisse ut in nonnullis ecclesiis ejus scripta post lectionem scripturarum recitarentur. Qui usus in Ecclesia græca ita perseveravit, ut usque ad annum 1721 aliqua Ephræmi scripta slavonice translata tempore jejunii quadragesimalis legerentur in Ecclesiis totius imperii russici³.

¹ Cfr. Ebed Jesu in *Catalogo Scriptor. Syr.* ad vocem ܩܘܘܡܐ ap. Asseman. *Bibl. Or.* t. III, part. 1.; J. S. Asseman. *Bibl. Or.* 1, 55; Ebed.-Jesu khayyat, *Syri orientales*, Romæ 1870, p. 128; Cardahi *Liber de arte poetica Syror.*, Romæ, 1875, p. 9. In tomo I *Opp. syr.-lat.* S. Ephræmi, præf. ad lect. recitantur verba librorum liturgicorum quibus utuntur Jacobitæ et Maronitæ.

² Hymni « ܩܘܘܡܐ ܕܡܘܥܐܢܐ ܕܩܘܘܡܐ ܕܡܘܥܐܢܐ ܕܩܘܘܡܐ ܕܡܘܥܐܢܐ ܕܩܘܘܡܐ ܕܡܘܥܐܢܐ »

ܩܘܘܡܐ; in Breviario chaldaico Romæ impresso an. 1863. p. ܩܘܘܡܐ, ܩܘܘܡܐ, ܩܘܘܡܐ, ܩܘܘܡܐ, inserti S. Ephræmi auctorem habent ut constat ex codd. Musæi Britannici, *Rich* 7156 fol. 158-159, 161; *add. manusc.* 14,675 fol. 164, etc.

³ Vi edicti Petri I eorum loco catechismus Theophanis Procopovitch introductus fuit. Vid. Tondini *Règlement ecclès. de Pierre-le-Grand*. Paris. 1874, p. 52, not.

Scriptis Ephræmus multa opera eaque doctissima tam ligata quam soluta oratione, quæ partim edita sunt partim adhuc latent in codicibus bibliothecarum Occidentis et Orientis. Celebrantur ejus Commentaria in vetus et novum Testamentum, eloquentissimi ejus sermones, vehementes in hæreticos odæ, suavissimi ac piissimi hymni. Adeo celeriter crevit Ephræmi fama apud suos et extraneos, ut, ipso adhuc superstite, ejus libri in græcum sermonem transferri cœperint. Quod opus, ipso vivente, inceptum, post ejus mortem perseveravit. Sed audiamus quid antiqui de sanctissimo viro referant.

Gregorius Nyssenus.

Primus occurrit S. Gregorius Nyssenus, scriptor coævus, qui paucis annis post Ephræmi mortem panegyricam de eo orationem ad populum Nyssenum habuit ¹. Is igitur testatur Ephræmum omnibus notum, vitæ ac doctrinæ splendore universo terrarum orbi illuxisse nec unquam a recto veritatis tramite deflexisse: « Cujusmodi autem, inquit, sunt illa, quæ ad contexendam ejus laudationem nobis proposuimus atque subjecimus? Actio nempe et contemplatio, quas virtutum examen consequitur, fides, spes, charitas, pietas erga Deum, sacrarum Scripturarum meditatio, animi et corporis puritas, lacrymarum assidui-

tas, vitæ solitudo, e loco in locum secessio, malorum fuga, doctrina perpetua, precatio continua, jejunium et vigiliæ immoderatae, humi cubatio, et vitæ austeritas pene incredibilis, voluntaria paupertas cum humilitate singulari, misericordia humanam conditionem superans, zelus divinus in eos qui rabie adversus pietatem atque religionem inveherentur; cuncta denique quibus ad Dei imaginem homo insignitur. Atque ista non aliunde, sed ex iis, quæ in variis ipse suis disseminavit scriptis, didicimus. » Ex ultimis hisce everbis colligitur jam tunc plura Ephræmi scripta græce translata fuisse; nam Gregorius Syrorum linguam ignorabat, nec nisi græce Ephræmi opuscula legere poterat. Hæc autem diaconi Edesseni scripta in oratione Gregorii laudantur: 1^o Confutatio auomœorum; 2^o Disputationes adversus Novatum; 3^o Commentaria in V. et N. Testamentum, de quibus ait: « Omnem et antiquam et novam Scripturam assiduo studio, ut quivis alius, studiose versavit, accurateque ad verbum est interpretatus, et ab ipsa procreatione mundi usque ad postremum gratiæ librum, quæ abdita, quæque arcana ac recondita erant, spiritus adjutus lumine commentariis illustravit; » 4^o Sermones de pœnitentia, de moribus, de rectæ vitæ

¹ Gregorii Nysseni *Opp.* III, ap. Migne, *Patrol.*

Gr. XLVI, 819, sqq.

instituitis, de iudicio extremo et secundo Christi adventu, de humilitate et charitate; 5^o Testamentum, e quo hanc visionem depromit, quam omnes *Vita S. Ephræmi* Scriptores retulerunt, nempe: quum Ephræmus parvulus esset et adhuc in ulnis matris gestaretur vitem in lingua ejus visam crevisse, quæ ad cælum usque mox pertingens innumerabiles fructus dedit et densis suis frondibus totum obumbravit orbem. Quumque frequentissimus populus conflueret et racemos inde colligeret, fructuum tamen proventus nullibi minuebatur; imo quo frequentior fiebat legentium turba eo ditior affluebat botrorum copia. Sermones (ܡܘܨܪܝܢ) racemis designabantur, frondibus hymni (ܡܘܨܪܝܢ). Ita visionem explicat ipse Ephræmus. Gregorius autem qui in versione græca hymnos a sermonibus non distinguebat visionem de scriptorum copia et eloquentia, nulla facta distinctione, explicat¹.

Vix a morte Ephræmi viginti

¹ Referunt hanc visionem *Testamentum S. Ephræmi*, *Opp. græco-lat.* II, 408-409; *Acta S. Ephræmi* n. 15 *Opp. Syr.-lat.* VI, p. XXXV; *Metaphrastes, Vita B. Ephræmi* ap. Migne *Patrol. græc.* CXIV, 1259; *Anonymus* ap. *Vossium*, I, XIII; *Menologium Basilii et Menologium armenum*. Eadem visio recitatur in *Apophthegmatibus Patrum*, *Patrol. gr.* LXV, 167. Vid. *Opp. græco-lat.* I, p. XXIX, XXXIV, *Opp. Syr.-lat.* I, præf. ad lect.

² *De Vir. illust.* 115.

³ « Samuel abbas dixit: Est David diaconus.... et Sabbas diaconus qui scripta beati Ephræm per loca singula profert, vir inter Syros Sapientissimus.» *Concil. Chal. Act.* 10^a ap. *Opp. græca* I, XLVII.

anni effluerant, quum S. Hieronymus hæc scribebat: « Ephræm, Edessenæ ecclesiæ diaconus, multa syro sermone scripsit opuscula, et ad tantam venit claritudinem, ut, post lectionem Scripturarum, publice in quibusdam ecclesiis ejus scripta recitentur. Legi ejus de Spiritu sancto græcum volumen, quod quidam de Syriaca lingua verterat; et acumen sublimis ingenii, etiam in translatione, cognovi. Decessit sub Valente². »

In actione X^a concilii Chalcedonensis memoratur Sabbam diaconum scripta Ephræmi recitavisse tanquam viri inter syros sapientissimi³.

A Theodoret⁴ Ephræmus appellatur « Scriptor inter Syros præstantissimus, » qui « Syriaca usus lingua, spiritualis gratiæ radios diffundebat. Nam, etsi Græcorum disciplinam non degustarat, multiplices tamen illorum errores et hæresum omnium fraudulentam imbecillitatem patefecit. Idemque, quoniam Harmonius, Bardesanis

⁴ « Καὶ οὗτος μὲν τῆ Σύρων κτελεστικὸς θεῶν, τῶν πνευματικῶν χάριτος τὰς ἀκτῖνας ἔφει. Παιδείας γὰρ εὖ γρηγορεύσας Ἑλληνικῶν, τοῖς τε πελοσχεδῶν τῶν Ἑλλήνων διέκλιξε πλάτους, καὶ πάσης ἀμεινῶν κακοεχίας ἐγύμνωσε τῆ ἀσθεσίας. Καὶ ἐπειδὴ Ἀρμένιος, ὁ βαρδισάνου, ὄδας τῆς συνεθείης πάλαι, καὶ τῆ τοῦ μέλιτος ἰδῶν τὴν ἀσίθειαν κτῆσας κατεκάλει τοῖς ἀκούσας. καὶ πρὸς ἕτερον ἔγραψε, τὴν ἀμεινῶν τοῦ μέλιτος ἐκείνου λαλῶν, ἀνίμωζε τὴν εἰσιθείαν, καὶ προσεὶρήχε τοῖς ἀκούουσιν ἴδιστον ἑμοῦ καὶ ἐπιφεροῖ φάρμακον. Ταῦτα καὶ ἐν τῶ ἄσματι θεοδωτήριος τῶν ἐκκρησῶν μαρτύρων τὰς παραγῆρας ποιῶ. » *Theodoret. Hist. Eccles.* IV, 26.

Hieronymus.

Concilium Chalced.

Theodoretus.

filius, odas quasdam olim composuerat et modorum suavitati admista impietate audientes demulcebat, rapiebatque ad exitium, modorum concentu inde assumpto pietatem indidit, jucundissimumque simul et utile audientibus medicamentum exhibuit. Quæ carmina etiam nunc triumphantium martyrum festa lætiora reddunt. » Alibi addit Ephræmum errores Bardesanis ejusque filii Harmonii strenue confutasse ¹.

Sozomenus.

Eodem fere tempore, quo Theodoretus, Sozoménus Ephræmum laudabat, tanquam qui repente in Syrorum lingua ad tantam eruditionem pervenit, ut philosophiæ quidem difficillima quæque theorematata facile perciperet : facultate vero ac splendore orationis et sententiarum crebritate simul atque sapientia, græcorum scriptores longo intervallo superaret. Etenim istorum quidem scripta, si quis in syriacum, aut in aliam linguam converterit et condimenta, ut ita dicam, græci leporis abstulerit, statim deprehenduntur, et pristinam gratiam amittunt. In libris autem Ephræmi idem non accidit; nam et, ipso adhuc superstite, libri ejus in græcum sermonem translati sunt et usque ad hoc tempus transferuntur, nec tamen a domestica ac nativa præstantia multum recedunt. Sed dum græce legitur, non

minus admirationi est quam dum syriace..... Dicitur porro circiter tricenis centena versuum millia in universum scripsisse, multosque habuisse discipulos, qui doctrinam ejus studiose æmulati sunt. Inter quos nobilissimi fuerunt Abba, Zenobius, Abraham, Maras, atque Simeon, quibus Syri et quicumque apud Syros exquisitoris doctrinæ studiosi fuerunt magnopere gloriantur. Nec secus Paulonam et Aranad eloquentiæ causa celebrant : eos tamen a vera fidei doctrina aberasse dicunt. Nec ignoro olim quoque apud Osrhoenos fuisse viros doctissimos, Bardesanem scilicet, qui hæresim ex ipsius nomine appellatam condidit, et Harmonium, ejusdem Bardesanis filium, qui cum græcis disciplinis egregie institutus fuisset, primus patrium sermonem metris ac modulis subjecisse dicitur et choris tradidisse, qua ratione etiamnum frequenter psallunt, non carminibus ab Harmonio scriptis, sed numeris (*μελεσι*) ejus utentes. Nam, cum a paterna hæresi non omnino alienus esset, neque ab iis quæ de anima, et de ortu atque interitu corporis, deque regeneratione, græcorum philosophi sentiunt, scripta sua ad lyræ cantum composuit, et opiniones illas operibus suis inseruit. Ephraim vero, cum Syros et verborum elegantia et mo-

¹ *Hæretic. fabul.* XXII.

dulationis concinnitate delinitos videret, eaque ratione paulatim adduci, ut idem cum Harmonio sentirent, ipse, licet græce eruditionis expers, operam dedit ut Harmonii numeros intelligentia assequeretur : et juxta numeros scriptorum Harmonii, alios composuit libros, ecclesiasticæ doctrinæ consentientes. Cujusmodi sunt ea quæ in divinis hymnis, et in encomiis sanctorum virorum ab illo sunt elaborata. Ex eo tempore Syri juxta numeros canticorum Harmonii, scripta Ephraïm psallere solent¹. » Memoraverat antea Sozomenus scripta Ephræmi de Juliano Saba², quæ hucusque ignota codex antiquus Musæi Britannici nobis suppeditavit.

Photius³ in codicibus bibliothecæ Constantinopolitanæ perlegit 49 sermones asceticos S. Ephræmi, quos singulatim enumerat his verbis : « Legimus S. Ephraïm *sermones* 49. Quorum 1^{us} deplorantem ipsum inducit quæ admiserat in vita, et sequentium deinceps admonitionum prologi vicem præbet. 2^{us} fratribus in cœnobio degentibus adhortatio est. 3^{us} ad pietatem invitat. 4^{us} eos qui ad monachos primum adducuntur informat, ut etiam 5^{us}-9^{us}, quibus et 10^{us} quodammo-

do consensit atque 11^{us}. 12^{us} similiter introductorius est, et 13^{us}-23^{us}. Nam qui deinceps sequitur communem continet admonitionem. At 25^{us} non oportere locum mutare hortatur. 28^{us} non oportere docet cœnobii desertorem redeuntem ad pœnitentem repudiari. 29^{us} ex historia gesta refert quam sit perniciosus præidentibus non obedire : oportere quoque christianum iram differre et injuriam oblivisci. 30^{us} de perturbationibus animi fugiendis. 31^{us} abjecto animo qua sint esse consolatione erigendos. 32^{us} per contradictionem, [qua diabolo quemdam repugnantem inducit] temperantiæ et castitati robur viresque addit. 33^{us} de castitate præcepta dat. 34^{us} quietem atque silentium iis commendat qui degere una volunt. 35^{us} non esse oculis vagandum docet. Quædam etiam quasi ad interrogationem factam institutio. An ciborum abstinentia fornicationis frangatur cogitatio. 36^{us} de mansuetudine. 37^{us} habitus sermo est ad inobsequentes : quos etiam cum Dei metu, tum justo judicio futuro compescit. 38^{us} rectam pietatem docet. 39^{us} ad eos qui sua negligentia labuntur et excusationes deinde excusant in peccatis. 40^{us} ad fratrem lapsum habitus est et agit

Photius.

¹ *Histor. Eccles.* III, 16. Sozomenum exscribit Nicephorus Callixtus, *Hist. Eccl.* IX, 16.

² *Hist. Eccles.* III, 14.

³ *Biblioth. cod.* 196. ap. Migne, *Patrol. gr.* CIII, 638.

de pœnitentia. 41^{us} suadet a juramento et maledicentia abstinendum. 42^{us} colligit juste punitum Heli sacerdotem legis : ad eum qui ad ipsa de re dubitabat. 43^{us} de timore porro Dei disserit. 44^{us} de dilectione. 45^{us} multarum virtutum admonitiones ac doctrinam ad Eulogium explicat. 46^{us} ad negligentem et ignavum monachum habitus, argumentis pulchris ac variis a reditu ad vitam revocare illum studet. 47^{us} reprehensio est pravorum morum. 48^{us} quantum differat solitaria vita a sæculari ob oculos ponit. 49^{us} secundum Christi adventum describit et ad pœnitentiam homines hortatur. » Hisce adjungit orationem de humilitate in capita centum distributam, alteram ad versus risum et superbiam, tertiam ad Metebinos monachos addens « alia quoque plurima sancti viri in græcam conversa linguam opuscula circumferri quæ dicendi vi ac suavitate referta sunt, Syrosque affirmare orationes supra mille ab Ephræmo scriptas esse quibus testimonium reddit Eusebius ille Pamphili cognomento. »

Alii. Abulbarcatus Ben Cabarus ,

presbyter ægyptius monophysita in libro arabico cui titulus *Lampas tenebrarum* ¹ asserit manibus monachorum teri librum Ephræmi qui complectitur quinquaginta sermones de re ascetica, quod cum Photio videtur convenire.

Theophanes ² asserit « magnum Ephræmum multos quidem sermones ad monasticæ vitæ instructionem, plures vero ad christianorum dogmatum stabilimentum spectantes divino spiritu effudisse, quædam etiam e suis operibus Syris dedisse decantanda, Syrosque affirmare trecentas versuum myriadas ab Ephræmo compositas. » Multi alii, pro data opportunitate, hæc aut illa Ephræmi opuscula laudant. Sic a Georgio Syncello ³ laudantur ejus sermones seu hymni « de Paradiso ; » a Joanne Damasceno ⁴ sermones « de secundo Christi adventu et judicio » et « de Caïn. » Ab Ephræmo patriarcha Antiocheno, ab Anastasio Sinaita, et a Leontio Byzantino hymni « de Margarita ⁵. » Theodorus Studites S. Doctoris carmina peculiari hymno celebrat ⁶.

Nec defuere apud latinos qui

¹ Ap. J. S. Assemanum, *Bibl. Orient.* 1, 59, 149.

² *Chronographia* ad an. 567 ap. Migne *Patrol. gr.* CVIII, 188-189.

³ *Chronographia*, ed. Paris. 15.

⁴ *De his qui in fide dormierunt* n. 31-32. *Sacr.*

Parall. 71, ap. Migne, *Patrol. gr.* XCV, 273; XCVI, 486.

⁵ Ephraem patr. Ant. ap. Photium *Biblioth. cod.* 229; Anastas. in *Hojejo* 8 et 10; Leontius, *de sectis* 1.

⁶ Ap. Em. Card. Pitra, *Anecdota sacra.* Paris. 1876, p. 340.

diaconi Edesseni opuscula legerent. Gennadius Massiliensis ¹, memorat carmen de Nicomediæ lapsu; Honorius Augustodunensis ² nominat Ephræmi opuscula et librum de Spiritu sancto; Vincentius Bellocensis ³ apud se habebat septem Ephræmi opuscula de pœnitentia, de luctaminibus sæculi, de compunctione cordis, de beatitudine animæ, de resurrectione, de judicio, quibus addit Trithemius ⁴ opuscula de cogitationibus, de prædicatione dura, de celebratione mysteriorum et planctum super Edessam.

Dum hæc isti de scriptis S. Ephræmi scribebant, alii ejus gesta narrabant. Primus occurrit Palladius ⁵, episcopus Hellenopolitanus, qui in sua *Historia Lausiaca*, anno 420 conscripta, præclara quædam Ephræmi gesta refert. Alia occurrunt in *Apophthegmatibus Patrum* ⁶.

Celeber scriptor qui *Vitas Patrum* descripsit Metaphrastes Ephræmi gesta narravit, generationem cum Gregorio Nysseno et Sozomeno consentiens, in nonnullis ab his recedens. Aliæ in codicibus græcis habentur Ephræmi *Vitæ* a scriptoribus anonymis exaratæ. Unam edidit Vossius in

sua operum Ephræmi editione, aliæ adhuc latent in bibliothecis. Exstat etiam Syriace *Vita S. Ephræmi* ab anonymo auctore exarata quæ e codice Nitriensi sæc. XI-XII edita est in Ephræmi *Opp. syr.-lat.* III, Romæ 1743. Alia exstat in cod. syriaco Bibl. Paris, sæc. XIII a scriptore incerto exarata, sed de his sermo erit in altera dissertatione de Ephræmi vita ac gestis.

Si tam sæpe memorantur Ephræmi scripta a Græcis et Latinis nemo mirabitur auctores Syros continuo invocare S. Doctoris auctoritatem. Quum autem præcesserit hæreses Nestorii et Eutychetis, quibus Ecclesia syriaca in Nestorianos, Monophysitas et Orthodoxos scissa fuit, hinc omnes Syri, ad quamcumque sectam pertineant, eum ut sanctum venerantur et ejus scripta recipiunt, imo ejus hymnos quotidie in officiis liturgicis decantant. Jacobus Sarugensis († 521), sæcundissimus Syrorum Scriptor, Ephræmi encomium ⁷, quemadmodum Gregorius Nyssenus habuit, ejusque gesta et carmina laudavit memorans institutos a diacono Edesseno choros virginum qui decantarent ejus hymnos.

Philoxenus Mabugensis, unus e Philoxenus.

syriaca in Musæo Britannico *add. manusc.* 42175, ubi fol. 121 historia S. Ephræmi recitatur.

⁶ *Patrol. gr.* LXV, 167.

⁷ Exstat in cod. syr. Paris 195, fol. 109-119, in quo illud perlegimus.

¹ *De Script. Eccles.* 66.

² *De Script. Eccles.* 116.

³ In *Speculo hist.* XIV, 87.

⁴ *De Scriptor. Eccles.*

⁵ *Hist. laus.* Cl, ap. Migne, *Patrol. gr.* XXXIV, 1206. Hujus libri exstat antiquissima versio

Paradiso provocat ad Commentaria S. Doctoris in Pentateuchum et ad ejus hymnos de Paradiso : « Necessè est, inquit, incorporatum esse paradisum, ut affirmat D. Ephraem in eo opere, quod librum Geneseos interpretatur et in iis etiam sermonibus (hymnis) quos de paradiso conscripsit. » Et infra : « Beatus Ephraem duplici interpretatione exposuit librum Moysis prophetæ quarum una mystica est, atque arcana eruit sensa, altera res ipsas pertractat a Moyse descriptas ¹. »

Dionysius Bar-Salibi, Amidæ episcopus († 1171), in suo in *Evangelia commentario*, præf. in Marcum memorat Commentaria S. Ephræmi in Evangelia hisce verbis : « S. Ephraem ordinem diatessari secutus, Evangelium explanavit ² » Idem testatur Gregorius Barhebræus in *Horreo mysteriorum*, ubi in Matthæum sic præfatur : « Eusebius Cæsariensis videns corruptelas quas Ammonius Alexandrinus in Evangelium διατεσσαρων nuncupatum induxerat, cujus initium : *In principio erat verbum*, quod S. Ephraem explicavit, quatuor Evangelia ut in textu perfecta integra-

que reliquit ³. » In decursu pluries allegat auctoritatem Ephræmi, sed non indicat an e Commentario vel ex Hymnis aut Sermonibus diaconi Edesseni desumpserit quæ recitat. Explicatio tamen verborum « *Nazareus vocabitur* (Matth. II, 23), » prout a Gregorio Barhebræo refertur, omnino consonat cum iis quæ habentur in Commentario quem e versione armena eruit J. B. Aucher et recenter edidit Mœsinger ⁴.

Gregorius Barhebræus in *Chronico Eccles.* ⁵ hæc de Ephræmo habet. « Ea ætate floruerunt doctores insignes : Athanasius Alexandria, Eusebius Hemesinus, similiter et Ephraem Nisebenus Edessæ, disciplinis divinis apprime instructus, quin aliquid ex institutione græcorum delibasset. Cum vero Harmonius, Bardesanis filius, composuisset hymnos (ܠܡܩܨܐ) perversis suis placitis commixtos, multosque suavi cantionum melodia traxisset in perniciem, ipse quoque doctor canticorum pietate conspersorum harmoniam adhibuit et hymnos (ܠܗܘܪܐ) concinnavit. »

Auctor anonymus *Actorum S. Ephræmi*, postquam memoravit commentaria S. Doctoris in Scrip-

Gregorius Barhebræus.

Alii.

¹ De Paradiso, interprete Masio, ap. Migne, *Patrol. gr.* CXI, 485-486 et passim.

² Ap. Asseman. *Bibl. Or.* I, 57 et II, 459.

³ Cfr. Assemanus, *ibid.*

⁴ Cfr. *Evangelii concordantis expositio facta a S. Ephræmo* in latinum translata a J. B. Aucher edid. Mœsinger Venetiis 1876, p. 36. Cfr. *Com-*

mentarium Gregorii Barhebræi in Matth. Syriace edidit Spanuth, Göttingæ, 1879, p. 7. Omisit D. Spanuth præfationem quam a J. S. Assemano, *Bibl. Or.* I, 57-58, mutuati sumus.

⁵ *Greg. Barhebræi chron. eccles.* ediderunt J. B. Abbeles et T. J. Lamy. Lovan. 1873-1877, sect. I, p. 83. En verba syriaca : ܠܡܩܨܐ ܠܗܘܪܐ

Ephræ-
mi cultus.

Illud dumtaxat addimus omnes scilicet Ecclesias orientales Armenorum, Chaldæorum, Coptorum, Jacobitarum, Maronitarum, Melchitarum, Nestorianorum memoriam S. Ephræmi recolere in Menologiis et Synaxariis, et Jacobitas quidem, Armenos et Græcos ad diem 28 Januarii, Maronitas vero et Melchitas ad diem 18 Januarii, Coptos ad diem 17 Abib¹. In calendario autem omnium quinque nationum Armenorum, Latino-
rum, Syrorum, Maronitarum et Melchitarum reponitur festum S.

Ephræmi in diem 28 Januarii². In martyrologio romano memoria S. Ephræmi legitur ad diem I^{am} Februarii. Nestoriani in officio feriæ VI^m post dominicam V^{am} ab Epiphania, Jacobitæ in officio feriæ III^m, Maronitæ ad vespertas dominicæ et festorum solemnium Ephræmi nomen collaudant. Armeni commemorationem S. Ephræmi in illa duodecim suorum doctorum includunt et celebrant feriâ III^a post dominicam V^{am} ab exaltatione crucis³. Copti festum S. Ephræmi XV^a Julii celebrant⁴.

II.

VERSIONES, CODICES, EDITIONES.

S. Hieronymus, Theodoretus et Sozomenus cum omnibus Syris asserunt Ephræmum syro sermone scripsisse quod et codices ostendunt. Petrus autem de Natalibus et Sixtus Senensis⁵ scribunt Ephræmum e syriaca lingua in græcam sua opuscula transtulisse adeoque non syriace tantum sed et græce scripsisse. His favere videntur auctor anonymus *Vitæ S. Ephræmi* quæ habetur *Opp. Syr.-lat.* t. II, auctor alterius vitæ quam le-

gimus in cod. syr. paris. 235 fol. 125-142, Menologium armenum et Amphilochius vel quisquis est auctor narrationis sub ejus nomine editæ. Isti quippe auctores referunt S. Ephræmum linguam græcam ignorasse donec Cæsarcam veniret ad S. Basilium; qua occasione linguæ græcæ scientiam divinitus acceperit. J. S. Assemanus⁶ et Petrus Benedictus⁷, operum syriacorum et græcorum S. Ephræmi editores doctissimi, docent

¹ Cfr. S. Ephræmi *Opp. Syr.-lat.* I, Præf. ad lect.

² Vid. Nilles *Kalendarium utriusque Ecclesie*, Æniponte, 1879, p. 455.

³ Nilles, L. c. II, 609.

⁴ Nilles, L. c. II, 638.

⁵ Apud J. S. Assemanum, *Ephræmi Opp. græco-lat.* I, proleg. X.

⁶ *Biblioth. Or.* I, p. 55. Cfr. tamen quæ habet in S. Ephræmi *Opp. græco-lat.* t. III, præf. p. 46.

⁷ S. Ephræmi *Opp. Syr.-lat.* I, *Præf. ad lect.* II; Præf. p. 22.

Ephræmum hebraice et græce doctum fuisse. Hanc opinionem confirmat J. S. Assemanus ex iis quæ S. Doctor habet in suo in Jonam Commentario ubi dicit : « Et cœpit Jonas introire in Niniven itinere trium dierum, et prædicavit et dixit : adhuc quadraginta dies, et Ninive subvertetur. » *In græco autem legitur* : « adhuc tres dies et Ninive subvertetur. » Utrumque autem verum est. Nam in Hebraicis exemplaribus scriptum est sic : « Cœpit Jonas introire in civitatem Niniven diebus quadraginta. » « Ex quibus discimus, inquit Assemanus, Ephræmum græci sermonis haud ignarum fuisse : nam versionis septuaginta interpretum meminit : vel saltem editionem illam in Syriacum versam legisse ¹. »

Plura ejusdem generis e versione septuaginta interpretum adducit S. Ephræmus. Sic ad *Zach.* XI, 5 annotavit : « *על פי חזק* : græcus autem pastorem imperitum dicit. » Cfr. quæ habet ad *Amos* VI, 1; *I Reg.* XIV, 3; *Ezech.* VII, 17, *Zach.* III, 9-10.

Istud argumentum totam quæ-

tionem solveret si constaret Ephræmum hæc non desumpsisse vel ex versione græca syriace jam tunc translata, vel ex annotationibus ad marginem versionis syriacæ appositis. Exstat quidem versio syriaca hexaplaris ex Hexaplis Origenis confecta, sed Ephræmo recentior est, utpote quæ a Paulo, Telæ episcopo, sæculo VII confecta fuerit. Alterius autem versionis e græco confectæ nullibi mentio occurrit. Quare Lengerke ² potius putat Ephræmum hæc ex annotationibus marginalibus desumpsisse, quasdam etiam ex illis annotationibus ipsi perperam tributas fuisse, quod in catenis fieri non ita raro evenit. Sic quæ ad 1^m Geneseos versiculum de particula hebraica *אם* in Commentariis Ephræmi ³ explicantur, non Ephræmi sunt, ut putaverat J. S. Assemanus ⁴, sed Jacobi Edesseni ut recte P. Benedictus animadvertit ⁵. Quod autem Ephræmus non ex ipso græco textu suas annotationes deprompserit valde probabile fit, ex eo quod raro ad textum græcum recurrit. Negligit autem versionem græcam in iis locis, ubi ea necessaria erat ad sen-

An græce doctus.

¹ *Biblioth. Orient.* I, 71. Istud Ephræmi in Jonam Commentarium non reperitur in editione romana operum S. Ephræmi, forsitan quod hac parte codex ita vetustate corruptus fuerit ut amplius perlegi non potuerit. Illud e codice Musæi Britannici descripsimus et in secundo volumine cum aliis commentariis in editione romana deficientibus edituri sumus.

² *Commentatio critica de Ephræmo Syro SS. Scripturarum interprete. Halis Saxoniæ, 1828.* P. 23, sqq.

³ *Opp. Syr-lat.* I, 116.

⁴ *Bibl. Orient.* I, 64.

⁵ *Ephræmi Opp. syr.-lat.* I. 116.

sum loci eruendum, quod utique non fecisset si græca usus fuisset versione.

Ex hujusmodi igitur annotationibus vel glossis hic illic in commentariis Ephræmi adductis certo erui nequit S. Doctorem linguæ græcæ peritum fuisse. In hac sententia nobis præiverunt Lengerke jam citatus et H. Burgess¹.

Aliud urgeri potest argumentum ex homilia S. Doctoris in *Gen.* I, 27 ubi scriptores Græcos supra Syros et Persas efferens ait : « Græci porro supra ceteros in ejusmodi disciplina profecerunt ; e Græcia quippe prodire insignes oratores, breves et pusilli verbis, sententiis ampli et grandes ; his adjuncti sunt præstantissimi disputatores sophistæ, et grammatici perpoliti et elaborati sermonis studiosi. Accessere deinceps nobiles medici, quorum studium et opera fuit morbos curare, ac dignoscere corporum affectiones ac temperamenta, et herbarum virtutes exponere. Astronomiam alii professi sunt, scientiam oppido quam fallacem, et alii astrologiam erroris robur ac firmamentum. Hos inter excellere Prophyrius vir doctissimus, et magnus Plato omnium ore celebratus, Socrates item subtilissimi vir ingenii, et Hippocrates excellentissimus medicus et

celeberrimus Galenus. Omnes tamen doctrina et eruditione prævertit Aristoteles². » Hisce quidem verbis prodit se eruditionis græcæ haud ignarum. Attamen quum tunc temporis florentissima vigeret schola in urbe Edessa, haud improbable est multos græcorum scriptorum libros jam tunc syriace versos fuisse. Certe codex Musæi Britannici (addit. man. 12, 150) anno 411 conscriptus continet Theophaniam Eusebii scriptaque Titi Bostreni e græco syriace translata. Unde colligitur, initio sæculi quinti, libros Doctorum ecclesiæ græcæ, statim ac editi fuerant syriace translatos fuisse. Improbabile igitur non est idem factum sæculo quarto. Imo ante sæculum quartum scripta Marcionis, Valentini aliorumque gnosticorum sive a Bardesane, ab Harmonio vel aliis in linguam syriacam versa fuisse ex confutatis ab Ephræmo horum virorum erroribus recte colligi videtur. Si enim græce tantum extitissent, necesse haud fuisset syriacis odis ea confutare. Quare tenendum est, quod innuit Hieronymus et diserte docent Sozomenus ex Oriente oriundus, Theodoretus, Antiochiæ natus, et eruditissimus Syrorum historiographus Gregorius Barhebræus, Ephræmum græcæ eruditionis expertem

¹ *The Repentance of Nineveh by Ephræm Syrus.* Loudini 1855. *Introd.* p. 24, 42.

² *Opp. Syr-lat.* II, 417.

fuisse. « Syriaca usus lingua, inquit Theodoretus, spiritualis gratiæ radios diffundebat. Nam, etsi Græcorum disciplinam non degustaverat παιδείας οὐ γεγενημένος ἐλληνικῆς multiples tamen illorum errores patefecit. » « Disciplinis divinis apprimè instructus fuit, addit Barhebræus, quin aliquid ex institutione græcorum delibasset *ܩܘܪܕܢܐ ܕܥܘܢܐ ܕܥܘܢܐ ܕܥܘܢܐ*. » Confirmatur ex *Actis* syriacis S. Ephræmi, in quibus asseritur divum scriptorem interprete indiguisse donec adiret Basilium, qua occasione linguæ græcæ donum divinitus acceperit. Quod factum an contigerit in disputatione de vita S. Ephræmi in altero tomo examinabitur. Remigius Cellier¹ mediam inivit viam dicendo S. Ephræmum sufficienter calluisse linguam græcam ut eam intelligeret, non vero ut græcè scriberet. Ista hypothese facile explicaretur quomodo S. Doctor septuagintavirali versione in suis commentariis quandoque usus sit. Nec improbable est græcum sermonem a multis usurpatum fuisse in urbibus Nisibin et Edessa quando Ephræmus earum scholas frequentabat, quum illæ urbes subjectæ tunc fuerint Imperatoribus Byzantinis. Nec eam hypothese omnino excludunt testimonia mox relata;

ei tamen non favent. Quidquid autem de hac hypothese sentendum sit, ex hucusque disputatis concludimus cum Tillemontio². Cave³ et aliis, S. Ephræmum omnes suos sermones, commentarios, odas et hymnos syriace exarasse, quod et Hieronymus asserit, nec quidquam græcè transtulisse, at brevi ad tantam claritudinem venisse, ut, ipso adhuc vivente, ejus scripta in linguam græcam verti cœperint, quod opus post ejus mortem continuatum est, ut narrat Theodoretus. Nec tantum in linguam græcam, sed mox in armeniacam, arabicam, copticam, ethiopicam et latinam translata fuerunt. Postea et slavonica etiam versio facta est. Collectio sermonum S. Ephræmi slavonice legebatur in omnibus imperii russici ecclesiis usque ad regnum Petri magni⁴. Post inventam autem artem typographicam plurima Ephræmi opuscula ascetica gallice, germanice, anglie, Italice edita fuerunt ad fovendam fidelium pietatem.

J. S. Assemanus accurate recensuit et descripsit in primo et secundo tomo operum græco-latinorum S. Ephræmi omnes codices ^{Codices græci et latini.} græcos et latinos qui in variis Europæ bibliothecis sive Romæ, sive Viennæ in Austria, sive Parisiis, sive in Anglia, Hibernia et

¹ *Histoire générale des auteurs ecclés.* Ed. Vives. Paris 1860, t. VI, p. 7.

² *Mémoires*, VIII, 705.

³ *Hist. litter.* I, 135.

⁴ V. Tondini, *Règlement ecclésiastique de Pierre Le-Grand*, Paris 1874, p. 52. not.

Russia inveniuntur. Quare inutilem laborem me suscepturum existimavi si hic iterarem opus tam diligenter et perfectissime a viro doctissimo absolutum.

Hoc est autem de versionibus græcis hujus viri iudicium. « Græcæ versiones a diversis auctoribus elaboratæ non eandem ubique, aut saltem iisdem verbis conceptam, reddunt sententiam. Sunt quippe qui in interpretando verbum de verbo reddidere : alii sensum retinere contenti, græci sermonis genio indulgentes, circumlocutionibus sunt usi : non pauci denique ob syriacæ linguæ difficultatem aut imperitiam, a genuina etiam sancti Patris mente longius recessere. Enim vero ex syriacis sermonibus qui supersunt manifeste apparet, græcos interpretes non semper nec ubique interpretandi artem tam exacte tenuisse, ut sublimen auctoris stylum ac sublimes sententias sint assecuti, quin imo facta cum syriaco textu collatione deprehenditur eos non semel a vero aberrasse, aut ea in obscuro posuisse quæ plena apud auctorem et perspicua sunt. Hæc tamen a me non ideo sunt dicta, quod eadem cum Kohlio sentiam, Vossii fidem in dubium vocanti : aut Riveti ac Tentzelii

Versio
armena.

censuræ subscribam, ea omnia quæ translata dedit Vossius Ephræmi opera, tanquam spuria et adulterina rejicientium : quin imo satis mihi persuadeo, et omnino sic statuo, neque Vossium sub Ephræmi nomine venditasse, quæ in manuscriptis græcis eo nomine non essent inscripta; neque ipsum in iis operibus latine vertendis pro genuino græcorum codicum sensu alium a veritate alienum nobis obtrudisse. Hoc ipsum convincunt græca exemplaria, non Vossii tantum ætatem antecedentia, sed quæ octingentos et non-gentos etiam annos superant, in quibus ii sermones omnes græcè apparent, quos postea Vossius latine edidit¹. »

Versio armeniaca sæculo quinto confecta fuerit. Juxta hanc versionem Mechitaristæ Venetiis, anno 1836, quatuor voluminibus ediderunt ex codice anni 999 commentaria S. Ephræmi in quatuor Evangelia et in epistolas Pauli, quæ hucusque deficiunt in editionibus operum S. Ephræmi syriacis, græcis, et latinis. Recentius D^r Mœsinger latine edidit versionem armenam commentarii in Evangelia². Hucusque commentaria in Epistolas S. Pauli latent in armena versione.

¹ S. Ephræmi *Opp. græco-lat.* II, præf. p. XXV.

² Vid. *Evangelii concordantis Expositio facta a sancto Ephræmo Syro in latinum translata a R.*

P. JOANNE-BAPTISTA AUCHER Mechitarista, cujus versionem emendavit, annotationibus illustravit et edidit D. G. MÆSINGER. Venetiis, 1876.

Nihil prodiit e versionibus arabicis, copticis, et ethiopicis. De arabicis autem translationibus hoc iudicium pronuntiat J. S. Assemanus : « Hoc in omnibus fere arabicis recentioribus interpretationibus observare est, ut qui in Syria et Ægypto e græco vel syriaco aliquod sanctorum patrum opusculum in arabicum sermonem convertendum suscipiunt, neque verbis neque sententiis ubique inhæreant, sed excerpta quædam describentes, et novum quodammodo opus ipsi procudentes, non vereantur tamen sub antiqui auctoris nomine illud venditare. Quæcumque igitur ad nos hujusmodi scripta perveniunt, post sæculum duodecimum elucubrata, perinde se habere existimanda sunt, ac si nullam fidem mereantur, nisi ad autographum collata, perspicuum fiat, illa cum græco vel syriaco textu convenire. Hunc in censum refero sermones omnes arabicos (exceptis illis duobus supra quinquaginta, jam olim e græco conversis de quibus t. I, *Bibl. Orient.* p. 150 ad 156) qui Ephræmi nomen præferunt in codicibus vaticanis¹. »

J. S. Assemanus in *Bibliotheca Orientali* I, 49, sqq. describit duos codices arabicos collectionem opusculorum asceticorum sancti

Ephræmi continentes : unus numero 8 inter Assemanianos notatus, anno 1325 exaratus, continet 50 sermones Ephræmi, alter ad bibliothecam S. Petri in Monte aureo pertinens, anno 1329 conscriptus, sermones 52² continet, eosdem scilicet ac in codice præcedenti, excepto 24^o qui diversus est. In hoc secundo codice notat amanuensis omnes illos sermones e græco arabice versos fuisse ab Abrahamo, Joannis Antiocheni filio protospathario. Idem sermones in priore codice partim e græca partim e syriaca lingua translata dicuntur ab Assemano³. Imo eadem collectio e lingua Syra in linguam arabicam ab anonymo versa dicitur anno Christi 980 in cod. Paris. arab. 65, ubi continetur. Vid. *Opp. Græco-lat.* III, prolegom. p. XL, n. 21.

Eadem collectio exstat in codice arabico Musæi Britannici, Arund. Or. I qui anno 1344 exaratus fuit, et in duobus codicibus Bibliothecæ Bodleianæ : nempe in cod. Bod. 571 et cod Marsh. 477. Omnia opuscula in hisce codicibus contenta græce habentur et latine in editione romana. Ea hic enumeramus juxta codicem Londinensem cum indicatione loci editionis romanæ ubi inveniuntur :

¹ S. Ephræmi *Opp. græco-lat.* Romæ 1843, t. II, præf. 54.

² Assemanus sermones numerat 51 ; at in catalogo quem ab ipso et a Steph. Ev. Assemano con-

fectum edidit Card. Maius *Scriptor. vet. nova collect.* t. IV, p. 129, sqq. numerantur 52.

³ Apud Card. Maium, *Lib. cit.* Assemanus addit : eosque partim græce, partim syriace edidimus. »

Versio et
Codicis
arabici.

1^o Epistola ad Joannem monachum de patientia. Vid. Opp. græco-lat. II, 186.

2^o Reprehensio sui ipsius. Vid. Opp. græco-lat. I, 18.

3^o Ad eversionem superbiæ. Vid. Opp. græco-lat. I, 23.

4^o Sermo ad pœnitentiam excitans. Exstat in cod. carsh. Paris n^o 193. Vid. Opp. græco-lat. I, 28.

5^o Sermo asceticus in quo est multa consolatio et humiliatio illis, qui, ut salvi sint, cupiunt. Vid. Opp. græco-lat. I, 40.

6^o Sermo ad imitationem Proverbiorum et de timore Dei. Vid. Opp. græco-lat. I, 70.

7^o Admonitio ad correctionem illorum qui vitam ærumnosam degere cupiunt. Vid. Opp. græco-lat. I, 111.

8^o Reprehensio sui ipsius. Vid. Opp. græco-lat. I, 119.

9^o Sermo de recordatione dolorum cum confessione et gratiarum actione. Vid. Opp. græco-lat. I, 144.

10^o Ad pœnitentiam hortatur. Vid. Opp. græco-lat. I, 148.

11^o Sermo actionem gratiarum Domino complectens cum humilitate. Vid. Opp. græco-lat. I.

12^o Sermo admonitionis. Vid. Opp. græco-lat. I.

13^o Sermo multam humilitatem comprehendens. Vid. Opp. græco-lat. I. Decem folia exciderunt, complectentia sermones 11-13.

14^o-15^o Sermo in patres defunctos. Vid. Opp. græco-lat. I, 175.

16^o De anima, qua debeat via Deum supplicare, si quando inimicus eam tentet. Vid. Opp. græco-lat. I, 193.

17^o De judicio et compunctione animi. Vid. Opp. græco-lat. II, 50.

18^o De patientia, de hujus sæculi consummatione, de regno justorum et supplicio peccatorum. Vid. Opp. græco-lat. III, 93.

19^o Sermo paræneticus ad Eulogium. Vid. Opp. græco-lat. II, 170.

20^o Quod non oporteat sibi indulgere et ridere. Vid. Opp. græco-lat. I, 254.

21^o De secundo Domini nostri J. C. adventu. Vid. Opp. græco-lat. I, 167.

22^o De beatitudinibus. Vid. Opp. græco-lat. I, 292.

23^o De virginitate. Vid. Opp. græco-lat. III, 74.

24^o Adversus illos qui sæpissime peccant, et variis vicibus pœnitentiam agunt. Vid. Opp. græco-lat. III, 31.

25^o Confessio cum precatione. Vid. Opp. græco-lat. I, 199.

26^o Admonitio de pietate. Vid. Opp. græco-lat. II, 145.

27^o De iis qui propria negligentia et ignavia excidunt, et excusationes in peccatis prætendunt. Vid. Opp. græco-lat. II, 148.

28^o Ad fratrem qui ceciderat et

de pœnitentia. Vid. Opp. græco-lat. II, 154.

29° Ad fratrem de dicto : melius est nubere quam uri. Vid. Opp. græco-lat. II, 164.

30° Admonitio de caritate. Vid. Opp. græco-lat. II, 169.

31° De monacho tædio affecto qui dixerat monasterium relinquam et in sæculum revertar. Vid. Opp. græco-lat. II, 175.

32° De moribus pravis et ignavia. Vid. Opp. græco-lat. II, 183.

33° De differentia inter vitam monasticam et sæcularem. Vid. Opp. græco-lat. II, 185.

34° De passione Domini nostri salvatoris. Vid. Opp. græco-lat. III, 244.

35° De iudicio et resurrectione. Vid. Opp. græco-lat. III, 148.

36° De devotione qua sese disciplinare militem Dei oportet. Vid. Opp. græco-lat. III, 38.

37° De patientia et humilitate. Vid. Opp. græco-lat. II, 326.

38° De patientia et humilitate. Vid. Opp. græco-lat. III, 86.

39° De resurrectione mortuorum. Vid. Opp. græco-lat. III, 119.

40° De illis qui ad improbitatem et impudicitiam animas decipiunt dicentes nihil esse mali. Vid. Opp. græco-lat. III, 56.

41° Ad fratrem qui controver-

siam egerat propter Eli sacerdotem. Vid. Opp. græco-lat. III, 6.

42° Centum capita quæ comprehendunt narrationes, historias, instructionem, admonitionem. Vid. Opp. græco-lat. I, 299.

43° Narratio de Juliano asceta. Vid. Opp. græco-lat. III, 254.

44° De recordatione mortis, de virtute et de divitiis. Vid. Opp. græco-lat. III, 114.

45° Hypomnesticum per speciem epistolæ. Vid. Opp. græco-lat. I, 188.

46° De virtutibus, vitiisque viginti tres sectiones. Vid. Opp. græco-lat. I, 1.

47° Admonitio de vita monastica ad novitium monachum. Vid. Opp. græco-lat. I, 258.

48° Admonitio divina. Vid. Opp. græco-lat. II, 77.

49° De variis somnolentiæ speciebus. Vid. Opp. græco-lat. II, 95.

50° De patientia et compunctione. Vid. Opp. græco-lat. II, 366.

51° Admonitio ad fratres qui de loco in locum transeunt. Vid. Opp. græco-lat. II, 108.

52° De illo qui in aures fratrum legit quod cum amore ad populum legere oportet. Vid. Opp. græco-lat. II, 128.

53° De mansuetudine. Vid. Opp. græco-lat. II, 138¹. Duo sermones sub nn. 36 et 37 descrip-

¹ Vid. Rosen et Forshall *catalogus codd. arab.*

Musæi Britannici. Londini 1846, pag. 26 et seqq.

ti desunt in cod. rom. 8 sicut et duo ultimi.

Alia Ephræmi opuscula habentur in codicibus arabicis. Nempe:

1^o In cod. arab. vat. 75, Commentaria in Gen. et Exod.

2^o Sermo de transfiguratione Domini. Exstat in cod. vat. 45 f. 143; in cod. arund. or. 21, Musæi Britannici. Impressus est in Ephræmi Opp. græco-lat II, 41.

3^o Sermo in mulierem peccatricem. Exstat in cod. vat. I, Berœnsi sæc. XVII; in cod. carsh. paris. 194, sæc. XVI, fol. 118-123. Vid. infra p. 311, sqq.

4^o Sermo de Elia propheta. Exstat in cod. Berœnsi I; in cod. carsh. Rich. 7209, sæc. XVI, fol. 237-248. Forsan idem sit cum sermone syriaco qui habetur in Musæo Brit. add. man. 14,651.

5^o Sermo de cæco nato. Exstat in cod. carsh. paris. 193, anni 1549, fol. 218-220; in cod. carsh. Bibl. Bodleianæ, Hunt. 22, sæc. XVII, fol. 218-223.

6^o Sermo de cruce in eodem cod. Bodleiano, fol. 292-301.

7^o Sermo in feriam primam paschatis. Exstat in Musæo Brit. cod. arund. 21, sæc. XIII, fol. 209-221. In cod. carsh. paris. habentur præterea sermones de morte

et pœnitentia, de timore Dei, de charitate, fide et secundo adventu Christi, de fine mundi et antichristo; in codd. carsh. et arab. Musæi Britannici sermones de pœnitentia et resurrectione et exitu animarum, de pœnitentia et iudicio, de luctamine cum diabolo; in codd. carsh. Bibl. Bodleianæ sermones eosdem fere titulos habentes. Quum codices sint recentiores difficile dictu est an sermones illi authentici sint vel potius consarcinati ex variis S. Ephræmi sermonibus græce aut syriace exstantibus. Notandum est multo plures Ephræmi sermones e græco in arabicum, quam e syriaco translatos haberi. In codice Musæi Brit. Arund. or. 21, sæc. XIII, habentur quatuor sermones de hora mortis, quorum unus græce et latine, Opp. III, 260, exstat¹. Vita Ephræmi arabice habetur in Bibl. paris. et oxon.

Interea autem dum Ephræmi opuscula ascetica e græco in linguas arabicam, latinam et slavonicam vertebantur, codices primigenium Ephræmi textum syriacum continentes in monasteriis præsertim Jacobitarum et Nestorianorum in Mesopotamia, Syria et Ægypto latebant solis Syris et Maronitis

¹ Sermones omnes arabice græce et latine qui Londini, Parisiis, Romæ, Oxonii exstant enumeratos habes partim in J. S. Assemani. *Bibl. Orient.* I, 149-156; Ephræmi Opp. *græco-lat.* prolegomena ad t. I, II et III; partim in Rosen et Forshall. *Catal. codd. Orient. Musæi Brit.* Londini 1838-1846;

Payne Smith, *Catal. codd. Syrr. et carsh. Bibliothecæ Bodleianæ*, Oxonii, 1864; Uri et Nicoll. *Catal. of orient.* Bodl. library. Oxford 1780-1875; Zotenberg, *catalogue des manusc. syr. et carsh. de la Bibl. nat.* Paris, 1874.

noti. Dictu mirum videbitur præcipuos et antiquissimos quos habemus operum S. Ephræmi codices ex Ægypto in Europam esse advectos atque ex illis omnes fere S. Doctoris sermones, hymnos ac commentarios desumptos esse qui hucusque reperti et editi sunt. Atque tamen res ita se habet. Ad quod intelligendum pauca quædam sunt hic narranda.

Norunt omnes deserta Ægypti sæculo IV, innumeris fere monachis inhabitata fuisse, pluraque tunc temporis ædificata fuisse cœnobia non solum in Thebaide sed etiam in deserto Scetensi, in valle Nitriensi¹. Quum fama sanctitatis monachorum Ægyptiorum per Syriam et Mesopotamiam divulgata quotidie multos Syros monachos in Ægyptum adduceret, ut testantur Rufinus et Palladius qui ad finem sæculi IV monachos deserti inviserunt, exstructum fuit pro monachis Syris in valle nitriensi cœnobium quod Virgini Deiparæ dicatum fuit. Etsi definiri nequeat quonam tempore surrexerit in deserto Scetensi Syrorum illud cœnobium, certum est antiquissimum esse et tempora Mahomedana præcessisse. Habuerit istud cœnobium, ut mos erat, ad usum monachorum non libros liturgicos tantum sed et bibliothecam. Quamvis autem Moslemi, subacta sæculo

VII Ægypto, monachos Scetenses disperserint magnoque numero trucidarint atque monasteria pleraque subverterint, nonnulla tamen ruinis et direptioni restiterunt, inter quæ illud Syrorum quod hodieque perdurat. Ex variis annotationibus codicibus apposis discimus, bibliothecam monasterii Syrorum scetensis codicibus syriacis ditatam fuisse præsertim ab abbate Moyse nisibeno, qui, redux ab itinere, quod Bagdadum susceperat pro negociis sui monasterii, in bibliothecam, anno Christi 932, invenit 250 codices syriacos antiquissimos, qui partim in bibliotheca vaticana, partim in Museo Britannico conservantur. Successivis temporibus alii codices a Syris in Ægyptum se recipientibus allati bibliothecam ditaverunt. Interea autem temporis bibliotheca cum ipso cœnobio non semel a Moslemis direpta fuit, unde codices disjecti, dilacerati, nonnulli ablati. Sedatis autem rebus, bibliotheca instaurabatur. Recentissima bibliothecæ instauratio anno 1624 effecta est, et reperta sunt 403 volumina quorum unumquodque duo vel tres codices continebat. Quæ cum ita se haberent, Romam anno 1706 venit Gabriel Eva, monachus maronita, redux ab itinere quem, jussu Congregationis de propaganda fide in Ægyptum ad Coptorum

Textus
syriacus
quandam
de-
tectus.

¹ Hodie *Uadi al-Natrun*.

patriarcham susceperat. Is narravit summo Pontifici Clementi XI recondi in monasterio Syrorum nitriensi codices syriacos, arabicos, coptos, maximæ antiquitatis.

Addebat etiam Gabriel haud dubiam spem fore, ut favore Joannis patriarchæ Alexandrini, cui monachi illi Nitrienses parebant, accedente alicujus industrii navique hominis opera, pars aliqua eorum codicum facile in potestatem veniret. Quæ cum libentissime audisset Summus Pontifex probassetque, pro eo quo tenebatur desiderio ditandi bibliothecam vaticanam copia codicum orientalium, jussit Eliam, monachum Maronitam, necessario comœatu prius instructum, cum commendatitiis litteris ad Joannem, Coptorum patriarcham ocius maturare ac velis, ut aiunt, remisque codicum negocium urgere. Cum hisce mandatis Elias, appetente vere ab Urbe dimissus, anno 1707, vix æstate jam adulta Alexandriam tenuit. Inde Cahiram progressus, Joannem patriarcham convenit, susceptique itineris causam docuit. Patriarcha multa cum benevolentia eum suscepit; attributisque sine mora comœatibus et litteris ad monachos Scetenses codicum dominos perhonorifice dimisit: socios insuper addidit duos, rem maxime necessariam in itinere periculoso per desertum. Elias humanissime a monachis cœnobii

Syrorum exceptus quam quærebat bibliothecam tandem invenit. Spelæum diceris, codicibus temere aggestis constipatisque refertum. Ingemuit Elias, vir non agrestis, nobilissimos humani animi fœtus ab imprudentibus dominis indigne tractari, speravitque fore, ut merces, quas ipsi possessores, ceu sibi minime necessarias, imo prorsus inutiles tunc concesserant, nec multo negotio, nec magno pretio in manus suas venirent. Sed contra spem accidit: nam ex tanta voluminum farragine atque copia, vix quadraginta Elias a monachis ægre, soluto pretio, impetravit.

Ita utcumque confecto negotio, ad urbem Cairum cum suis libris reditum Elias maturavit. Hic verò parum absuit, quin longo labore parta uno momento cuncta laberentur. Nam, quum, superata Nitriæ solitudine, quod reliquum erat viæ, navigio usus, secundo amne conficeret, exortus repente Africus, qui per æstatem Ægyptum infestare solet naviculam rapuit disjecitque; quumque nautis remigio destitutis in adversum obtendi nulla esset ratio, cymba diu procellas nequidquam eluctata cessit, atque in omnium conspectu miserandum in modum fluctibus hausta est: submersisque una cum Elia et comite monacho libris, hic misere in aquis periit; Elias vero ope alterius navigii, quod opportune supervenit, ex imminente fato

ereptus, illud etiam a nautis, non modico laboris oblato pretio, facile impetravit, ut submersos codices e cœnosis Nili vorticibus expiscarentur. Lætus ob recuperatos codices vitamque servatam Elias iter continuavit usque Cahiram. Ibi codices suos recensuit, cœno obsitos tersit, humefactos exsiccavit. Sic ea, qua potuit diligentia reparatos ipse in Syriam festinans Romam transmittendos curavit; receptique fuerunt sub diebus natalis Domini, exeunte anno 1707, et in Bibliothecam vaticanam illati. Ex istis codicibus eruta sunt fere omnia S. Ephræmi opera quæ syriace habentur in magna editione romana.

Quum autem Elias narrasset multos in monasterio Syrorum scetensi remanere syriacos codices, missus est anno 1715 ad eos emendos J. S. Assemanus, qui, etsi plus ducentos codices vidisset tantum nobilissimos quosdam, soluto pretio, obtinere potuit. Idem ipse exinde in Syriam profectus optimos codices ex Alepo aliisque Orientis locis in Bibliothecam vaticanam invexit¹.

Qui deinde monasterium Scetense Virginis Deiparæ inviserunt viatores nullum exinde codicem in Europam attulerunt, donec, anno 1828, nobilis vir Anglus

Lord Prudhoe quosdam codices syriacos exinde obtinuit, novem annos postea nobilis vir Curzon bibliothecam vidit et quatuor codices obtinuit. Felicior, anno 1839, fuit D. Tattam a monachis Syris emens 58 codices syriacos antiquissimos², unde desumpsimus commentaria S. Ephræmi in editione romana deficientia, nempe in ultimam partem Isaïæ, in Jonam, Nahum, Sophoniam, Habacuc et Aggæum.

Quum isti codices repositi fuissent in Musæo Britannico, nobiles viri quibus cura pretiosissimæ hujus Bibliothecæ demandata est eruditum virum Tattam in Ægyptum denuo miserunt, qui felici successu a monachis Scetensibus 314 codices syriacos³ soluto pretio obtinuit, quibus cum alia bene multa hucusque ignota scriptorum Syrorum et Græcorum opera tum etiam S. Ephræmi pleraque opera sive edita sive inedita continentur, ut ex infra dicendis patebit.

Hac emptione nondum exhausta erat cœnobii syrorum nitriensis bibliotheca, quare solertissimi viri Angli non sine multo labore, prudentia et expensis, ope viri Ægyptii, Pacho nomine, rursus, anno 1841, 172 codices syriacos obtinuerunt et in Musæum Britannicum invexerunt⁴.

¹ Cfr. J. S. Assemani, *Bibl. Orient.* I, præf.

² In Musæo Britannico reponuntur cum nota *Addit. manusc.* 12155-12181.

³ *Addit. manusc.* 14425-14779.

⁴ *Addit. manusc.* 17102-17274. Hanc historiam vide narratam ap. W. Wright, *Catalogue of the*

Subjungimus descriptionem codicum Bibliothecæ vaticanæ, Londinensis et Parisiensis, et codicum quidem vaticanorum descriptionem e J. S. Assemani *Bibliotheca orientali* t. I, p. 561, sqq., desumpsimus, quum præsto nobis non fuerit *Catalogus Bibliothecæ apostolico vaticanæ* a Steph. Ev. Assemano descriptus.

I. CODICES ROMANI.

I. Cod. nitriensis V bombycinus, exaratus circa annum Christi 1100 in Scetensi S. Pisis Syrorum cœnobio ex antiquis ejusdem loci manuscriptis. Continet varia Chrysostomi, Jacobi Sarugensis, Ephræmi aliorumque scripta; et Ephræmi quidem sequentia habentur¹:

1° De Annuntiatione Deiparæ, sermo heptasyllabus, quo metro sequentes sermones exarati sunt.

2° De laudibus Deiparæ. Opp. syr. III, 60.

3° De Jona et Ninivitis. Opp. syr.-lat. II, 359.

4° De morte Aaron.

5° De timore Dei et consummatione sæculi. Opp. Syr. III, 629.

6° De jejunio. Opp. Syr. III, 638.

7° In illud : Pone, Domine, custodiam ori mei. Opp. syr. II, 330.

8° Testamentum. Opp. græcolat. II.

9° Vita S. Ephræmi auctore anonymo, quæ in Syrorum ecclesia in ejus commemoratione legitur. Opp. syr. III. initio.

10° De pœnitentia duo sermones.

11° In illud : Omnia vanitas et afflictio spiritus. Opp. syr. II, 338.

12° In illud : Tollatur peccator ne videat gloriam. Opp. Syr. II, 344.

13° Paræneses duæ.

14° De correptione et reprehensione, paræneses. Opp. syr. III, 654.

15° De Lazaro et Ecclesiæ simbolo. De Hosannis. Opp. syr. III, 209.

16° De fide sermones tres. Opp. syr. III, 164, sqq.

17° De Andrea apostolo, spurius sermo.

II. Cod. nitr. VI membranaceus. Expositio in Genesis et Exodum. Opp. syr. I.

III. Cod. nitr. VII, membranaeus, scriptus 21 dec. anni Græcor. 834, Chr. 522.

1° De Ecclesia hymni 52. Opp. Syr. III, 359-366; 608, sqq. Alio ordine enumerantur in Bibl. or. I, 86, alio in Opp. syr.

2° De virginitate hymni 51. Collectio est hymnorum varii argumenti quos enumerat Assemanus

Syriac manuscripts in the British Museum, part. III, præf. London, 1872; vid. etiam nostrum opusculum : *Les manuscrits syriaques du Musée Bri-*

tannique, in *Bulletins de l'académie royale de Belgique*, 2^e série XLIX, n. 5 1880.

¹ Sequimur enumerationem quæ habetur Bibl. Orient. I, 159, sqq.

Bibl. orient, I, 91-98. Eos non inveni in editione romana.

3^o De fide hymni 87. Opp. syr. III, p. 1, sqq.

4^o Adversus hæreses hymni 56. Opp. Syr. II, 437, sqq.

5^o De paradiso hymni 15. Duo ultimi desunt in Opp. syr. III, 562. Inveniuntur autem ap. Overbeek, Ephræmi syri opp. select. p. 339.

IV. Cod. nitr. VIII membranaeus exaratus a Barlaham, scriptore Edesseno, in Sarmin pro monasterio S. Danielis in monte Sciulæ 20 Febr. anni Græc. 863, Christi 552. Emptus a Moyse abbate Scetensi una cum 250 aliis anno Christi 932. In eo continentur :

1^o De paradiso hymni 11. Opp. syr. III, 562, sqq.

2^o De Nativitate Domini hymni 15. Opp. syr. II, 396, sqq.

V. Cod. nitr. IX membranaeus exaratus ab eodem scriptore qui codicem præcedentem exaravit et dono datus cœnobio Scetensi a Zoara, Pauli Tagritensis filio. In eo continentur :

1. De fide hymni 87. Opp. syr. III, 1, sqq.

VI. Cod. nitr. XIV membranaeus :

1^o Sermo de lucta spirituali.

2^o Sermo de Job.

VII. Cod. nitr. XVI exaratus a Theodoro die 8 oct. anni Græc. 1135, Christi 823. Insunt :

1^o De defunctis cantus 31, fol. 1-31.

2^o De defunctis cantus 38, fol. 31-48.

3^o De defunctis cantus heptasyllabi 15 hoc ordine : de episcopis 1; de monachis 2; de presbyteris et diaconis 1; de mulieribus 1; de viro qui orphanos relinquit 1; de mulieribus quæ orphanos relinquunt 1; de divitibus et principibus viris 1; de omnibus defunctis 1; de peste 2; de sacerdotibus et monachis 1; de omnibus defunctis 1; de sacerdotibus 1.

Omnes isti cantus, perturbato ordine, habentur Opp. syr.-lat. III, 125, sqq.

VIII. Cod. nitr. XVII membranaeus : Insunt :

1^o De pœnitentia, patientia et virtutibus paræneses 15; enumerantur Bibl. orient. I, 138. Vid. Opp. syr. III, 412-450.

2^o De defunctis cantus 11. Enumerantur Bibl. orient. I, 136 et habentur in Opp. syr. III, ceteris cantibus supra enumeratis immixti.

IX. Cod. Assemanianus III, membran. exaratus a Severo in monasterio S. Barbaræ in monte Edessæ sub Joanne patriarcha 25^a mart. anni Græcor. 1172, Christi 861 :

1^o Commentaria in Genes., Exod., Levit., Numer., Deut., Job, Josue, Judices, IV Reg., XII Prophet. min., Ezech., Jerem. et threnos, Cantic. Daniel., Isaiam. Edita in Opp. syr. I-II. Præter

Jonam, Nahum, Habacuc, Sophoniam, Aggæum, 24 capita posteriora Isaiaë et duo ultima threnorum capita quæ edituri sumus in altero volumine.

X. Cod. Asseman VI bombycinus, exaratus in cœnobio S. Jacobi in monte Edessæ 12 maii anni Græcorum 1534, Christi 1223 :

1^o Sermo quod tempore orationis non sit ridendum.

XI. Cod. Asseman. XVI, bombycinus insunt inter alia :

1^o Duo carmina.

2^o Brevis S. Ephræmi historia. Edita in *Bibl. or.* I, 25.

XII. Cod. syr. vat. X, exhibentur scalæ 40, de quibus sermo erit in secundo volumine.

J. S. Assemanus. hisce verbis summam recenset Ephræmi scripta in codicibus vaticanis inclusa : « Syriace habentur in Nitriensibus codicibus hymni plus quam quadringenti, videlicet, de Nativitate Christi 15, de Paradiso 15, de Ecclesia 52, de Virginitate 51, de Fide 87, de hæresibus 56, cantus Defunctorum 31; hymni parænetici et paracletici de Defunctis 59; carmina varia heptasyllaba 54 et Testamentum. » « Extant soluta oratione commentaria in totum fere vetus Testamentum. » Hæc omnia edita sunt syriace et latine tribus tomis in fol. a Petro Benedicto et Stephano Evodio Asse-

mano Deficiunt tamen non pauca lectu nimis difficilia eo quod codices aquis Nili corrosi vel ætate detriti fuerunt.

XIII. Codd. 21 et 25 Musæi Borghiani tres præbuerunt P. Zingerle sermones de monachis quorum unum ipse edidit in *Monumenta syriaca ex romanis codd. collecta*. OEniponti 1869, vol. I, p. 6-12; duos alios in opusculo : *S. P. Ephræm Syri sermones duos e codd. syriacis*. Brixen. 1868. Tres isti sermones syriace dumtaxat editi sunt.

II. CODICES MUSÆI BRITANNICI ¹.

XIV. Cod. add. 14570, membranaceus sæc. V-VI, unus ex iis quos Moyses Nisibenus anno 932 pro cœnobio Scetensi emit. Insunt :

1^o Sermo adversus falsas doctrinas fol. 1-21. Syriace edidit Overbeck in opere *Ephræmi Syri aliorumque opera selecta*, Oxonii 1865, p. 21.

2^o Sermo de Domino nostro, fol. 23-52. Habetur infra p. 144.

XV. Cod. add. 17189, membran. sæc. V-VI, unus ex iis quos Moyses Nisibenus anno 932 emit. Insunt :

1^o De Miraculis a Moyse in Ægypto patratis fol. 1-4.

2^o De descensu Spiritus sancti et divisione lingg. fol. 4-6.

¹ Vid. W. Wright *catalogue of the Syriac manuscripts*

in the British Museum. London, 1870-1872.

3° De jejunio et de creatione fragmenta fol. 6-12.

4° De transgressione Adæ fol. 12-16. Syriace hæc omnia edidit Overbeek, lib. cit.

XVI. Cod. add. 14574, membran. sæc. VI. Insunt :

1° Duo sermones adversus falsas doctrinas, fol. 1-19. Syriace edidit Overbeek, lib. cit. cfr. supra XIV, 1.

2° Fragmenta hymnorum de fide 11-14, 24-29, fol. 20-29.

3° Fragmenta hymnorum adversus hæreses, fol. 30-32.

XVII. Cod. add. 12176, membran. sæc. V-VI. Insunt :

1° Sermo de admonitione, fol. 1-2.

2° Hymni de fide fol. 2-31. Idem sunt et eodem ordine veniunt ac in cod. III supra. Opp. Syr. III, 1, sqq.

3° Hymni adversus hæreses fol. 31-50. Idem sunt ac eodem ordine veniunt ac in cod. III supra et in Opp. Syr. II, 437, sqq. Tria in codice folia desunt.

4° Fragmenta ex hymnis nisibenis 75-77. V. Bickell. *Carm. Nisibena*.

XVIII. Cod. add. 14572, membran. sæc. VI, unus ex eis quos Moyses Nisibenus pro cœnobio Scetensi anno 932 emerat. Insunt :

1° Hymni Nisibeni numero olim 77, quorum 70 remanent. Editi fuerunt syriace et latine a Bickell, *Carmina Nisibena*. Lipsiæ, 1866.

XIX. Cod. 14571. Membran. scriptus a Juliano Edesseno anno græcorum 830, Christi 519. Insunt :

1° De Nativitate Domini hymni 16, fol. 1 10, alio ordine dispositi aliterque divisi ac in Opp. Syr. II, 396, sqq. Quædam deficient.

2° De jejunio hymni, hymni 10, fol. 11-16 quorum non remanent nisi fragmentum 5ⁱ, deinde 6-10. Imprimendi a nobis.

De azymis hymni duo, fol. 17-18. Habentur infra p. 570.

4° De crucifixione hymni 6, ultim. imperf. fol. 18-26. Habentur infra p. 624.

5° De effectibus crucis vel de resurrectione, (non de dominica palmarum ut erronee habet Wright in *Catalogo* p. 411), hymni 3, fol. 27-28. Imprimendi in volumine II.

6. De tabulis legis hymni duo, fol. 29-31. Recensentur a J. S. Assemano *Bibl. Or.* I, 91 inter hymnos de Ecclesia quos continet codex III supra. Imprimendi in vol. II.

7° De Adam et Eva hymni sex fol. 31-38. Recensentur a J. S. Assemano inter hymnos de Ecclesia. Habentur in Opp. Syr. II, 318-326.

8° De libero arbitrio hymni 3. Opp. Syr. III, 359, sqq.

9° Hymni 7, fol. 42-50. A J. S. Assemano enumerantur inter hymnos de Ecclesia *Bibl. Or.* I, 89, n.

25-31. Opp. Syr. III, 557, 610, sqq.

10° Hymni 3, fol. 52-60. Ex collectione nisibena a Bickell edita.

11° De fide hymni 7, fol. 60-69. Exstant in Opp. Syr. III, p. 22, 26, 29, 38, 40, 57. Inseruntur duo hymni nempe hymnus 29 de Ecclesia et unus de morte.

12° De resurrectione hymni 2, fol. 70-77. Editi a Bickell.

13° De Paradiso hymni 15, fol. 77-105. Opp. Syr. III, 562, sqq. Tres ultimos in Opp. Syr. desideratos edidit Overbeek, op. cit. p. 339, sqq.

14° De Juliano apostata hymni 4, fol. 105-114. Editi ab Overbeek op. cit. p. 3, sqq.

XX. Cod. add. 14573, membran. sæc. VI unus ex illis quos Moyses Nisibenus anno 932 emit pro cœnobio scetensi. Insunt :

1° Sermo de Jona et Ninivitis fol. 3-20, imperf. Vid. supra cod. I, n. 3.

2° Paræneses duæ imperf., fol. 21-28. Pro secunda vid. Opp. Syr. III, 654.

XXI. Cod. add. 14635, membran. scriptus anno Chr. 555. Insunt :

1° De Ecclesia hymni 5, duo tantum sunt integra.

XXII. Cod. add. 14627, membran. sæc. VI-VII. Insunt :

1° De jejunio hymni olim decem quorum duo tantum ultimi remanent. Imprimendi a nobis. Vid. supra cod. XIX, n. 2.

2° De azymis hymni olim 21, fol. 7-17. Desunt hymni 7-12, Duos priores continet cod. XIX, n. 3, supra. Habentur infra p. 570.

3° De crucifixione hymni 3, fol. 17-22. Habentur infra p. 637, sqq.

4° De resurrectione hymni 5, fol. 22-27. A nobis imprimendi.

XXIII. Cod. add. 12144, membran. scriptus in Ægypto anno Domini 1081. Continet catenam Patrum in Scripturam a Severo monacho Edesseno anno Christi 861, confectam ex variis Patrum commentariis. Cfr. supra cod. IX. Insunt : Scholia Ephræmi in libros Regum, 12 prophetas minores, Ezechiel, Jeremiam et Lamentationes, Daniele et Isaiam. Equibus desumpsimus quæ desunt in Opp. Syr. II.

XXIV. Cod. add. 14506, membran. sæc. XI pro fol. 1-119; folia 85-96 palimps. sæc. IX; folia 119-235, sæc. IX vel X. Insunt : multi hymni quorum plerique Ephræmi sunt. Ei nominatim adscribuntur sequentes :

1° De Beata Maria Virgine, fol. 6-14.

2° De martyribus et confessoribus, fol. 18-29.

3° De 40 martyribus, fol. 87-91.

4° De Epiphania, fol. 115-118. Nomen Ephræmi deest. Cfr. infra n. 7.

5° De annuntiatione Zachariæ, Beatæ Virginis et de Nativitate

Domini, fol. 120-156. Opp. Syr. II, sed hic septem habentur qui deficiunt in edit. romana

6° Sugitæ de Beata Virgine, de Simeone Sene, de Maria et Magis, de Domino et Joanne, fol. 156-168.

7° De Epiphania, fol. 168-183. Vid. infra p. 4. sqq.

8° De jejunio, fol. 194-197. Ephræmi nomen deest. Hos omnes hymnos exscripsimus.

Hymni S. Ephræmi de Nativitate et Epiphania habentur in codd. add. 14515, an. 893; 14516, sæc. IX; 14520, sæc. VIII; 14511, sæc. X; 14512, sæc. X in quo habentur etiam hymni de jejunio. Collectiones illæ haud integræ sunt, ut fit in libris liturgicis; eas contulimus cum aliis codicibus.

XXV. Cod. add. 17141, membran. sæc. VIII-IX. Inest collectio hymnorum, quorum sequentes Ephræmo adscribuntur: nempe de Epiphania 7; de vigiliis fratrum 19; de pœnitentia; de Ecclesia et virginitate 3; quinque Sugitæ, hymni ad mensam decantandi in vigiliis sanctorum.

XXVI. Cod. add. 14592, membran. sæc. VI-VII. Insunt hymni.

1° De confessoribus olim 12, nunc 5 ultimi supersunt fol. 57-61.

2° De filiis Samonæ 2, fol. 61-62.

3° De Abraham Kidunaia 15, fol. 62-72.

4° De Juliano Saba 24, fol. 75-86.

XXVII. Cod. 14615, membran. sæc. X. Quinque sermones de

tranquillitate. de perfectione fratrum, de verbis Isaiaë: tollatur peccator (opp. II, 344), de martyribus, de incantatoribus.

XXVIII. Cod. 12166, membran. sæc. VI, sermones de fide. Opp. Syr. III, 164, sqq.

Exscripsimus hymnos et sermones in codd. britannicis hucusque enumeratis qui non sunt hucusque editi. Multi alii codices unum aut alterum Ephræmi sermonem vel hymnum continent nempe:

1° Duo sermones de misericordia, cod. add. 14614, sæc. VIII. et cod. add. 14613, sæc. IX. Edidit Overbeek, lib. cit.

2° Epistola ad monachos montenses, cod. 14623, an. 823 et cod. 17213, sæc. IX. Ed. Overbeek, lib. cit. In eodem cod. 14623, fragmentum tractatus adversus Bardesanem. Edidit Overbeek, lib. cit. 132.

3° Testamentum, cod. 14666, sæc. VII-VIII; cod. 14582, sæc. VI-VII; cod. 14624, sæc. VII-VIII. Vid. Opp. græco-lat. II, 395-437; Overbeek, Lib. cit. p. 137, sqq.

4° Vita Abrahæ Kidunensis Ephræmo adscripta, cod. 12160, sæc. X.

5° Sermo rogationum, cod. 17164, sæc. IX. Fragmentum, cod. 17145, sæc. X.

6° De Nicomedia et resurrectione, cod. 17145, sæc. X.

7° Sermo pro tempore pestis eodem cod.

8° De peccatrice, cod. 14651, scriptus anno Christi 850; cod. 17226, sæc. XII. Habetur infra p. 314.

9° De Abrahamo ejusque typis, cod. 17226. Exscripsimus.

10° De admonitione et pœnitentia, cod. 17109, scriptus anno Christi 873-874; cod. 14735, sæc. XII. Habetur infra p. 276. Exstat etiam in cod. 14588, sæc. IX.

11° Contra Bardesanem fragmentum, cod. 14623, scriptus anno 823; cod. 17193, scriptus anno Christi 1493.

12° Hymnus de doctrina cum fragmentis aliis, cod. 17206, sæc. XI-XII. De sacrificio Isaaci ibid.

13° De Elia et vidua, cod. 14651, anni 850.

14° De fine mundi et mercede justorum fragmentum, cod. 14629, sæc. VIII-IX.

15° De fine mundi, judicio et morte, cod. 14735, sæc. XII.

16° Hymni de morte et defunctis, cod. 17207, sæc. IX; 17109, scriptus an. 873-74; 17130, scriptus anno 877.

17° Sermones de Defunctis, cod. Rich. 7190, sæc. XIII. Primus et tertius exstant. Opp. syr. III.

In eodem codice sermo de exhumatione ossium Josephi.

18° Hymnus de Defunctis, cod. 14582, an 816, cod. 17180 sæc.

⁴ Vide Zotenberg, *Catalogue des manuscrits*

XI; alii, cod. 14630, sæc. X; cod. 14656, sæc. X.

19° Parænesis, cod. 14605, anni 653.

20° De solitariis, cod. 17262, sæc. XII. Ibidem de humilitate. Exstat opp. III.

21° De duabus memoriis, cod. 17182, sæc. IX, cod. 14611, sæc. X. Opp. II, 350.

22° Laudes Ephræmo adscriptæ, cod. Rich. 7156, fol. 151, 156, 158, 161; codd. add. 17219, fol. 150, 155, 157, 158, 160; cod. add. 14675.

23° Preces *حَقْل* Ephræmo adscriptæ, cod. add. 17190, fol. 114; 14501, passim et in aliis codd. liturgg. Nonnullæ hujusmodi preces impressæ sunt in breviariis et missalibus Jacobitarum et Maronitarum. In multitudine codicum liturgicorum quos Musæum Britannicum possidet sæpius occurrunt absque nomine auctoris hymni, interdum etiam sermones metrici, S. Ephræmi. Sæpius quædam strophæ deficiunt; quæ autem servantur intactæ et immutatæ recitantur. De precibus sive *حَقْل* quæ Ephræmo tribuuntur in codicibus liturgicis alibi sermo erit.

III. CODICES PARISENSIS BIBLIOTHECÆ NATIONIS ¹.

XXIX. Cod. 196 (ancien fonds syriaques de la Bibliothèque nationale. Paris, 1874.

112) sæc. XIV Inter multas Jacobi Sarug. homilias hi inseruntur S. Ephræmi sermones metrici :

1° De nativitate Domini, fol. 24 circiter.

2° De admonitione et doctrina, fol. 98. Habetur infra p. 276.

3° Parænesis de reprehensione. Opp. Syr. III, 654.

4° In dominicam palmarum, fol. 231-236. Opp. Syr. III, 209.

5° De passione et crucifixione sermones 8, fol. 324-355. Habentur iidem sermones in codd. 189 et 200. Vid. infra p. 342, sqq

6° Fragmentum sermonis et duo hymni, fol. 445-448, Monumenta e codd. rom. collecta. OEniponte, 1860, I, p. 4.

XXX. Cod. 190, sæc. XVIII, Insunt :

1° Sermo de amore doctrinæ. Exstat etiam cod. 13, fol. 123; 16, fol. 83 et fol. 130. Opp. Syr. II, 336.

2° Sermo de resurrectione et iudicio, fol. II. Opp. Syr. III, 242.

3° Sermo de humilitate, fol. 27. Opp. Syr. III, 614.

4° Sermo de monachis Edidit Zingerle Monumenta Syriaca e codd. rom. collecta. OEniponte, 1860, I, p. 4.

XXXI. Cod. 122, sæc. XV. Insunt.

1° De sepultura Aaronis cod. 122, fol. 84.

2° Tres sermones de defunctis.

Sequentes adjiciendi sunt sermones : 1° De exilio et silentio, cod. 197; 2° De iudicio extremo et fine mundi, cod. 243; 3° De pœnitentia et vita monastica, cod. 177; 4° De Messia venturo, cod. 13; 5° De egressu animæ.

XXXII. Cod. 24, sæc. XVI, 4 hymni in Breviario chaldaico impressi.

XXXIII. Cod. 86, sæc. XVII. 4 Sedræ in missali maronitico impressæ.

XXXIV. Cod. 145, scriptus anno 1556. Hymni *Scalæ* dicti, fol. 204-233; cod. 146, sæc. XVII; cod. 147, sæc. XVI; cod. 148, sæc. XVII; cod. 149, sæc. XV.

XXXV. Cod. 161, sæc. X-XI. Collectio hymnorum S. Ephræmi et Jacobi Sarugensis.

XXXVI. Cod. 235, sæc. XIII. Acta S. Ephræmi, fol. 125-142; differunt ab actis impressis.

Vita Abrahamæ Kidunensis Ephræmo adscripta, fol. 3-12. Cfr. cod. 234, fol. 172. Opp. græco-lat. II, p. 1.

IV. CODICES BIBLIOTHECÆ BODLEIANÆ¹.

XXXVII. Cod. Marsh. 711, chartaceus sæc. XV. Insunt.

1° Sedra de justis, fol. 1.

2° Hymnus de defunctis et sancta Trinitate, fol. 2.

¹ Ex P. Smith, *Catal. codd. Syr. Bibl. Bodleianæ. Oxoniæ, 1864.*

- 3^o Sugita de peccatore, fol. 4.
 4^o De pœnitentia et de creatione Adæ, fol. 5.
 5^o Sermo de ultimo iudicio, fol. 9.
 6^o Sermo de baptismo Constantini. Edidit Overbeek lib. cit. 355.
 7^o Sugita de festo Resurrectionis, fol. 16.
 8^o Sermo de morte bonorum et malorum, fol. 18-21.
 9^o Sermo de fine et consummatione mundi et altera de defunctis, fol. 26-40.
 10^o Sermo adversus Judæos, fol. 40.
 11^o Sermo de fide et operibus, sequuntur quædam excerpta cum versione carshunica, fol. 42-53
 12^o Preces S. Ephræmi, fol. 54.
 13^o Sermones consolatorii de defunctis et supplicatio ad Deum pro hominibus, fol. 56-60.
 14^o Sermo de incarnatione, fol. 60-65.
 15^o Sermo adversus Nestorianos, alius de morte physica, tertius de fine mundi, fol. 65-67.
 XXXVIII. Cod. Marsh, 453, art. 3, chartaceus, sæc. XV. Ephræmi excerpta quæ fere omnia edita sunt.
 XXXIX. Cod. Thurston anni 1628, chartac. Insunt :
 1^o Sermo de fine et consummatione, de Gog et Magog, fol. 57-75.
 2^o Sermo de humilitate et fide, fol. 95-108.
 3^o Alphabetum Ephræmi, fol. 108-112.
 Nonnulli sermones et hymni sparsim aliorum scriptis immixti habentur, nempe :
 1^o Sermo de humilitate et admonitione et amore doctrinæ et de præceptore et discipulo, cod. Hunt. 250, sæc. XII, fol. 147-152. Cfr. cod. Poc. 10, ubi sub eodem titulo sermo Ephræmi habetur.
 2^o Psalmus Lux orta est justis, cod. Hunt. 109. Vid. Opp. Syr. II, 330; Sachau, *Theodori Mopsuesteni fragmenta syriaca*, Lipsiæ 1879, p. 23. Psalmus iste Theodoro Mopsuesteno tribuitur in codd. add. 14675, 14677, 17219, Musæi Britannici, atin codd. Rich. 7156; in codd. Bodleian. Hunt. 1091, Marsh 453; in codd. paris. 14 et 24 et in *catal. Bibl. Vatic.* t. III, p. 510, Ephræmo tribuitur. Et recte quidem, nam stylus optime syriacus indicat hymnum non græca lingua qua sola Theodorus scribebat sed syriaca exaratum fuisse.
 3^o Sermo Deus largire scientiam cod. Daw. 55, cod. Marsh 361, 706. Opp. græco-lat. II, 569; Syrlat. II, 336.
 4^o Sermo de Ecclesia, cod. Marsh. 706.
 5^o Sermo de Dei omnipræsentia, id. Poc. 10, fol. 164.
 6^o Sermo de humilitate, cod. Poc. 10, fol. 182. Opp. Syr. III, p. 644.

7^o Sermones quinque de humilitate, de pœnitentia, de festo Hosannorum, de verbis Isaïæ (opp. syr. II, 344), de fine et consumptione, Gog et Magog. Supra XXXIX, n. 1.

8^o Fragmentum et sermo de admonitionibus et præceptis et de peregrinis, cod. Hunt. 595, sæc. XV, fol. 66-89, 105-108.

9^o Sermones de defunctis : episcopis, monachis, laico qui orphanos relinquit, mulieribus, cod. Bod. or. 412. Cfr. Opp. Syr. III, 225.

10^o Hymni « Scalæ » dicti habentur, codd. Poc. 333, Marsh. 479, Hunt. 594.

Aliarum Bibliothecarum codices Syriaci qui nobis innotuerint in volumine II indicabuntur.

V. EDITIONES TYPIS IMPRESSÆ.

1^o *Editio Ambrosii Camaldulensium præfecti generalis.* Ambrosius, qui anno 1431 Camaldulensium præfectus generalis renunciatus fuit et Florentiæ anno 1439 obiit, antequam toti Camaldulensium ordini præficeretur jam 20 opuscula ascetica e græcolatina fecerat¹. Nec desunt scriptores anonymi qui ante eum ser-

mones Ephræmi latinitate donaverant. J. S. Assemanus diaconi Edesseni ascetica opuscula 23 recenset in codicibus latinis vaticanis exstantia antequam Ambrosius suam translationem adornaret². Alia in codicibus anglicanis exstare monet idem doctissimus auctor. Prima autem latina translatio typis mandata illa fuit Ambrosii. Primo prodierunt quinque sermones de pœnitentia, de timore Dei, de compunctione, de angustia animæ, de caritate, de iudicio et compunctione, cum hac annotatione : « Impressus per magistrum Bartholomæum Guldinbeek de Sultz, Anno 1475. » Altera editio multum locupleta, nempe omnia opuscula ab Ambrosio translata³ complectens, typis prodiit Florentiæ anno 1481 per Anthonium Bartholomæi Mischomini in-4. Repetita Brixia 1490 ; Parisiis 1505 ; Argentorati 1509 et 1585 ; Colonia 1547, in qua additi sunt nonnulli sermones ab anonymo interprete latine translati ; Patavino anno 1585. Translatio latina Ambrosii gallice reddita est per Petrum Cueveret. « La fleur de prédication, » Parisiis 1520, germanice vero per Joannem Schuaigerum Moguntia, 1565.

¹ Vid. *Opp. græco-lat.* I, proleg. LXXXV ; II præf. XX-XXII.

² *Opp. græco-lat.* I, proleg. LXXXI.

³ In illa editione numerantur opuscula 19 ; in codicibus autem nunc 20, vel 21 aut etiam 23,

quod discrimen non in re est, sed in numero tantum. Nam alicubi sub uno numero plures sermones continentur qui alias in plures numeros dividuntur.

2^o *Editio P. Fr. Zini Veronensis.* Undeviginti alia Ephræmi opuscula ascetica e græco-latina fecit P. F. Zinus Veronensis. Prima editio prodiit Venetiis 1561, repetita Dilingæ 1562, et rursus Venetiis 1574.

Interea temporis Julius Clemens canonicus sæcularis testamentum Ephræmi e græco in latinum sermonem transtulit et Aloysius Lipomanus e veteri latino interprete preces et sermones nonnullos inseruit in 6^o et 8^o volumine Vitarum sanctorum Romæ 1554 et 1560. Cardinalis Sirletus, J. Gretserus, Fr. Combefisius et J. B. Cotelerius et ipsi diversis temporibus e græco quædam opuscula latina fecerunt. Sed omnes superavit Gerardus Vossius.

3^o *Editio Gerardi Vossii.* Dum optarant docti viri ut omnia Ephræmi opera quæ reperiri potuissent, latine prodirent. Quæ enim Ambrosius, quæ Zinus verterant, gustum acuebant, non satietatem afferebant. Hinc, suasu atque impulsu cardinalium Sirlleti, Montalti (qui postea Sixtus V fuit) jussuque Gregori XIII, hoc opus maximæ molis aggressus est Gerardus Vossius, alias Voskens, Tungrensensis præpositus, patria Belga, ex Borchloon, comitatus Lossensis, diœcesis Leodiensis, Leodii anno 1609 defunctus. Eruditissimus ille vir Romæ per multos annos degens sermones S. Ephræmi et opuscula

quotquot reperire potuit in codicibus græcis vaticanis et aliis e græco latina fecit, adjectis scholiis doctissimis, et translationem suam Romæ edidit tribus voluminibus in-folio. Primum volumen Sixto V dicatum prodiit anno 1589; alterum Clementi VIII, anno 1593 inscripsit, cui anno 1592 speciminis loco quinque Ephræmi sermones obtulerat; tertium denique, anno 1598, evulgavit, Deo optimo maximo ac S. Ephræmo pro gratiarum actione dicatum. In tribus hisce voluminibus continentur 219 sermones et opuscula. Hisce, ut ipse asserit, codicibus usus est: 1^o Vaticanis plurimis; 2^o Sfortiano membranaceo perantiquo; 3^o codicibus Sirlleti Cardinalis; 4^o codicibus duobus Cryptæ-ferratæ; 5^o duobus codicibus Venetis; 6^o codice Candiano seu Cretensi et altero Constantinopolitano. Hæc editio quatuor sermonibus auctior recusa fuit Coloniae 1603, et 1619 et Antverpiæ 1619.

Editio Vossii meritas obtinuit laudes a viris doctis, Labbeo, Possevino, Caveo, Fabricio, Tillemontio, Dupinio, aliis. Sufficiat hoc J. S. Assemani judicium: « Quamquam Vossianæ versionis non ita hæreo, ut illam semper et ubique sectandam mihi proposuerim; nisi tamen me aliter cogit græcus textus e regione positus, ab illa ne latum quidem unguem recessi. Laudem scilicet meretur Vossius

quod, ut inquit Kolhius p. 279, tanta quanta nemo unquam diligentia curaque ex tota Italia, quotcumque indagare potuit Ephræmi scripta, in Bibliothecis passim exarata manu exstantia collegerit, inque latinam translata linguam, communem omnium in utilitatem divulgaverit. Laudanda quoque Vossii in eo est industria, quod variis identidem lectionibus ex codicibus, quos adhibuit, rarissimis vetustissimisque diligenter notatis, singulis Ephræmi sermonibus loca communia ut vocant, hoc est, græcorum æque ac Latinorum Patrum similis argumenti scripta, in eorum præsertim, qui sacra tractant, sanctissimamque disciplinam populo exponunt, usum adjecerit, aliaque Scripturæ loca ex aliis clarioribus ac parallelis vel explicuerit, vel confirmaverit. Nec minus laudabilem in locis passim obscuris illustrandis, corruptis emendandis, dubiis confirmandis operam exhibuit. » Verumtamen non paucos etiam nævos habet ea doctissimi interpretis versio : aliquando enim rebus magis quam verbis intentus, breviora facere instituit; interdum luxuriantia adhibet, et quæ omnino redundant, cocervat. In quibusdam etiam a vero sensu deflectit, aut sententiam auctoris obscure et contorte exprimit. Nihil dico de minoribus vitiis, quibus nullum

opus quantumvis tersum et limatum, carere omnino potest. Hunc itaque interpretem secutus, et reliquis a me anteponendum esse, nec a me deserendum judicavi, nisi ubi mendum aliquod in ejus editionem irrepsisse certo constat, aut variam lectionem græci codicis nobis latine exprimendam suadent. Neque vero quia Vossium identidem corrigo, idcirco me illi injuriam fecisse arbitror, sed de eo bene meruisse me aio et contendo, quod nævos corpori alioquin egregio inspersos ut eximerem sedulo operam dedi¹ »

Fuere tamen Rivetus et Dentzelius qui ea omnia, quæ translata dedit Vossius Ephræmi opera tanquam spuria et adulterina rejicerent. At certum est Vossium nulla opuscula sub nomine Ephræmi vertisse et edidisse quæ non ejus nomine inscripta essent in codicibus græcis; neque ipsum in iis opusculis latine vertendis pro genuino græcorum codicum sensu alium a veritate alienum nobis obtrusisse. Hoc ipsum convincunt græca exemplaria, non Vossii tantum ætatem antecedentia, sed quæ nongentos et mille etiam annos superant, in quibus ii sermones græce apparent, quos postea Vossius latine edidit. Opinatus est Kohlius Vossium minime fidelem se ac sincerum interpretem præ-

¹ Ephræmi, *Opp. græco-lat.* II, præf. XXIV.

buisse, sed pro arbitrio suo nonnulla omisisse, alia immutavisse, plurima interpolavisse. Fabricius etiam Vossio exprobrat quod partes in codicibus quibus usus est pro libitu divulsit ac discerpit. Quibus respondit J. S. Assemanus, dicta sua argumentis probando « Vossium nihil omisisse, nihil immutasse, nihil interpolasse aut in textum intrusisse, nihil denique, quod in manuscriptis cohæret ac junctum est divisisse ac disjunctisse. Si quod est in ordine sermonum discrimen, si qua sententiarum, aut divisionis partium diversitas; non ex arbitrio Vossii interpretis, sed ex manuscriptis ipsis codicibus oritur, quorum unum vix reperire est, quod cum altero prorsus conveniat ¹. »

4. *Græca editio Oxoniensis.* Hucusque nonnisi paucæ quædam Ephræmi preces aut sermones græce a Jacobo Gretsero, a Bollandianis, a Cotelerio et in Catenis Patrum in Matthæum et in Job prodierant. Primus Eduardus Thwaites græcam operum Ephræmi versionem luculentis et majoribus theatri sheldoniani typis Oxonii, anno 1709 in-folio edidit ex codicibus Bodleianis. Continet autem græcos Ephræmi sermones 156, absque versione latina. Hisce sermonibus binæ ejusdem doctoris vitæ junguntur, altera Metaphrastæ, anonymi altera. Ad hanc

editionem adhibiti fuere codices 18. Omnes sermones in ea editione contenti latine exstant apud Vossium, exceptis septem.

5^o *Editio Romana græco-latina et syriaco-latina.* Hæc editio, omnium præstantissima, constat sex voluminibus in-folio, quorum tria textum græcum cum versione latina e regione posita, tria vero alia textum primigenium syriacum cum versione latina continent. Tria volumina græco-latina Romæ prodierunt, curante J. S. Assemano Maronita. Primum volumen Clementi XII dicatum prelo exivit anno 1732; alterum Benedicto XIV auctor inscripsit anno 1743; tertium eidem Pontifici dicatum prodit anno 1746. Tria volumina syriaco-latina elaboravit Petrus Ambarachi vulgo Benedictus, Maronita S. J., qui cum ad Dominum migrasset antequam tomus tertius solveretur, Stephanus Evodius Assemanus opus prosecutus est et absolvit. Primus tomus sub auspiciis Clementis XII excusus fuit anno 1737; secundus Benedicto XIV dicatus evulgatus fuit anno 1740; tertius sub auspiciis ejusdem Pontificis publici juris factus est anno 1743. Unde apparet doctissimos Maronitas editioni allaborasse per quindecim annos. Præclara ista romana editio incipit a primo volumine græco, quod idcirco post epistolam dedicatorem

¹ *Loc. mox. cit.* p. XXVI.

et præfationes duas doctissima habet prolegomena. In his auctor primo recenset auctores græcos et latinos qui Ephræmi scripta laudaverunt aut ejus vitam narraverunt, deinde agit de latinis antiquis versionibus operum Ephræmi tum manuscriptis tum impressis, de græca editione Oxoniensi et de exiguis quibusdam precibus aut sermonibus e syriaco translatis; denique agit de codicibus græcis. Quæ summatim perstrinxit mox fusius evolvit, integra siquidem refert testimonia veterum qui græce vel latine scripserunt; deinde singulos recenset Ephræmi sermones qui in unaquaque editione supra memorata et in codicibus latinis continentur, adjectis judiciis virorum doctorum de hisce editionibus; denique recenset omnes codices græcos in Bibliotheca vaticana et in aliis Italiæ et Europæ pluteis repositos, in quibus plura vel pauciora habentur S. Ephræmi opuscula quæ singula enumerat¹. In secundo tomo recenset codices Venetos, codices Bibliothecæ passionæ, vallicellanæ, Moscuensis. Quia vero sæpius fit ut unius ejusdem sermonis varii sint in codicibus tituli, et vicissim idem titulus sermonibus diversis

inscriptus sit, ordine alphabetico excipit initia sermonum Ephræmi, annotatis codicibus, in quibus habentur.

Sequuntur deinde: 22 sermones de virtutibus et vitiis; 24 diversi de eodem argumento, de pœnitentia et de defunctis; 4 sermones de virtute ad novitium monachum et 10 capita de virtute; 12 capita in illud « attende tibi ipsi; » sermo de non ridendo; de vita spirituali capita 96; beatitudinis capita 55; alia capita 20; de humilitate capita centum. Tomum claudit duplex tabula: una sermones enumerans et opuscula quo ordine sunt impressa, altera initia cujusque opusculi ordine alphabetico tum græce tum latine exhibens.

Quænam autem fuerit agendi ratio auctoris tum in edendo textu græco tum in apponenda versione latina, ipse his verbis in priore præfatione aperit: « Quum ex plurimis græci textus exemplaribus nullum nobis obtigerit, quod plane cum altero conveniat, sive in dispositione ac numero tractatum, sive in omnimoda titulorum, verborum, sententiarumve conformitate; Oxoniensem textum anno Christi 1709 editum præ ceteris selegimus, quem nobis veluti

¹ Sunt autem codices græci quibus Ephræmi opera continentur: *Vaticani*, 90; *Basiliani*, 10; *Barberini*, 12; *Othoboniani*, 52; *Cæsarei Vindobonenses*, 21; *Regii paris.*, 62; *Ambrosiani*, 7; *Mediceo-laurentiani*, 2; *Anglicani*, 18; *Sfor-*

tiani, 2; *Bavarici*, 7; *Heidelbergenses*, 7; *Venetæ*, 3; *passionæi*, 1 antiquissimum 124 sermones complectens; *Moscuenses* 5, *Vallicellanus* 1. Opp. græc. prol. ad t. I, II, III.

archetypum proponeremus ; suppletis tamen, quæ frequenter occurrunt, lacunis, additisque non raro ex vetustissimorum voluminum fide emendationibus sive appendicibus, quæ omnino visæ sunt necessariae. » Illud in hac parte desideratur quod auctor non indicavit codices unde supplementa et correctiones desumpserit, et nullam variam lectionem notaverit. Mentem tamen auctoris fuisse ut ad finem tomi subsidia illa critica adjiceret ipse affirmat. Quod cur factum non fuerit non liquet. « Latinam autem versionem, pergit auctor, a Gerardo Vossio vulgatam pressis vestigiis, quantum fieri potuit, sequi decrevimus ; non quod illam interpretationibus Ambrosii, Zini, aliorumve præferamus : (sua enim cuique laus debetur, nec quidquam viris claris detractum volumus :) sed quia et plura Vossius Ephræmi opera quam alii, e Græco transtulit, et elaborata ab ipso editio, quum sæpius recusa sit, omnium manibus teritur. Non sic tamen eandem sequimur, ut sæpissime non deseramus : adeo enim a græco textu passim recedit, ut nova fere interpretatione in nonnullis tractatibus opus sit. Quis vero latine græceque doctus non subirasceretur nobis, si Vossianam versionem integram servaremus, ubi græcus textus e

regione positus aliam sententiam complectitur ? »

Editoribus statutum fuerat prius tres tomos græco-latinos evulgare, deinde tres tomos syriaco-latinos ; at J. S. Assemanus aliis negotiis et laboribus distentus non potuit inceptum consilium perficere ; jamque tres tomi operum syriacorum typis excusi fuerant, quum secundus tomus græco-latinus prelo exivit. Exorditur tomus secundus ab epistola dedicatoria quam sequuntur prolegomena in quibus auctor omissos in primo tomo codices græcos describit et Ephræmo vindicat sermonem ad imitationem proverbiorum conscriptum et sermonem in Margaritam pretiosam. Patet autem ex collatione hujus sermonis cum citatis ab Anasiasio Sinaita et a Leontio interpretem græcum nimis libere vertisse et codices mendosos esse¹. Quod et de Testamento et sui confessione dicendum videtur. De encomio autem S. Basilii merito dubitari ex dicendis de anno mortis Ephræmi patebit. Sed longius foret de singulis operibus græcis disserere, ex quibus nonnisi quædam in dubium revocantur. Continet iste tomus omnes sermones in editione oxoniensi contentos a 31^o ad finem eodem ordine, nonnullis insertis, aliis ad finem additis et sermone de Domina Sala ut spurio

¹ Cfr. *Opp. græc.* III, prol. p. 37.

rejecto. Insunt porro in hoc volumine : 6 sermones de diversis, 50 paræneses ad monachos Ægypti, epistola ad Joannem monachum, sermones tres de secundo adventu, resurrectione et consummatione sæculi, testamentum Ephræmi, quod et syriace adjectis ex alio codice variis lectionibus ad finem tomi habetur; sequuntur sermones, paræneses, preces de diversis, cum excerptis quibusdam in Job, in Psalm. et in Matth.

Tomus tertius et totius collectionis ultimus, anno 1746, evulgatus est. Post epistolam dedicatorem auctor in prolegomenis inserit Ephræmi sermonem ad monachos de sua conversione, vitam ejus e cod. Vallicellano, Theodori studiatæ in Ephræmum et Joannem Chrysostomum encomium; deinde describit codices nonnullos hucusque omissos præsertim græcos, syriacos, arabicos et armeniacos Bibliothecæ regiæ Parisiensis sicut et codices syriacos et arabicos Oxonienses. Sed hæc descriptio valde est imperfecta. Deinde de hisce documentis et codicibus disserit, ostenditque sermonem Ephræmo de sua conversione tributum non ipsius fœtum esse sed ejus discipulorum, narrationem Amphilocho tributam interpolatam esse, sermonem de sacerdotio Ephræmo vindicat, sed sermonem ad Joannem monachum contra hæresin Nestorii diacono Edesseno abjudicat.

Pias autem ad Deum et ad Beatam Virginem preces aut preces et lamentationes, etsi illæ quasdam interpolationes passæ sint, ut genuinum opus Ephræmi habendas esse, nec obstare titulum « Dei genitrix » Mariæ tributum docte propugnat. Quoad preces vero quæ in libris Syrorum liturgicis Ephræmo tribuuntur, eas non omnes ad Ephræmum pertinere asserit. Sermonem autem de verbis otiosis et duos sermones de sacra cœna a Kohlio editos supposititios esse demonstrat.

Continet tomus tertius sermones, odas, preces, hymnos de diversis, nempe de sacerdotio, de Heli sacerdote, de Loth, de Juliano asceta, de Elia, de virginitate, de vitiis, quinque de pœnitentia, plures de resurrectione, judicio et adventu Domini, panopliam ad monachos, adhortationes, preces ad Deum et Beatam Virginem, nempe 107 opuscula, quæ omnia ex codicibus undique collegit et primus edidit cum versione latina a se, ubi illa Vossii deficiebat, elaborata. Addita sunt 21 opuscula latina.

Priores duo tomi syriaci prodierunt, annis 1737 et 1740, cura et labore Petri Benedicti Maronitæ S. J. Tomus primus continet Commentaria, seu potius Scholia, S. Ephræmi in Pentateuchum, Josue, Judices, duos libros Samuelis et duos Regum.

In tomo secundo habentur commentaria in Job, in Isaïæ capita 1-42, 66; in Jeremiam, Threnos, Ezechielem, Danielem, Oseam, Joëlem, Amosum, Abdiam, Michæam, Zachariam et Malachiam. Quæ omnia desumpta sunt ex *Catena* a Severo, monacho Edesseno, anno Christi 861 elaborata. Sequuntur sermones exegetici 10, sermo in Jonam, et sermo in Lazarum, 13 sermones, seu potius hymni, de Nativitate Domini, 57 sermones, seu odæ adversus hæreses. Huic tomo adjicitur Antirrhethicon adversus Kohlium et Renaudotium. Tertius tomus complectitur Acta S. Ephræmi, 87 sermones seu odas de fide adversus scrutatores, tres alios sermones in idem argumentum, sermonem adversus Judæos pro dominica palmarum, necrosima seu canones funebres 85, sermones seu odas de libero arbitrio 3, paræneses 76; de paradiso Eden hymnos 12, denique 18 sermones de diversis.

Maxima horum sermonum et hymnorum pars, nominatim sermones et hymni de fide adversus scrutatores et adversus hæreses, de nativitate Domini, de paradiso Eden, de libero arbitrio et nonnullæ paræneses ex tribus antiquissimis codicibus nitriensibus sæculi VI excripta est. Pro aliis vero sermonibus nec ætas codicum, nec ipsi codices indicantur e quibus desumpti sunt. Hoc aliquo modo

colligi potest ex iis quæ supra de codicibus romanis syriacis dicta sunt. Quum morte præreptus fuerit Petrus Benedictus antequam tommum tertium absolvisset, curam operis prosequendi in se suscepit Stephanus Evodius Assemanus, qui opus feliciter ad finem perduxit. Textui syriaco ubique e regione versio latina appositæ est, quam Petrus Benedictus ejusque successor magno labore magnaque sua linguæ syriacæ peritia adornarunt.

Hæc est præstantissima illa editio romana, quam merito plurimi faciunt viri docti, utpote quæ tantis curis elaborata a tribus doctissimis illis Maronitis Latio dedit præclarissima illustris doctoris syri scripta hucusque incognita, quibus præcipua fidei nostræ capita orientis luce illustrata novum robur novumque decorem accipiunt. At, quia in rebus humanis nihil absque defectu occurrit, sunt et huic editioni sui nævi. Desiderant quippe viri periti ut textui syriaco appositæ fuissent lectiones variæ, ubi plures suppetebant codices, ut hymnis præfigeretur tonus ad quem strophæ conformata est, ut Responsoria in codicibus indicata suo loco imprimerentur, ut denique authentia et genuinitas necrosimorum, paræneticorum et sermonum de diversis ad trutinam criticam revocarentur. Illud etiam in versione latina repræhensum jure fuit, quod sæpe nimis libera

paraphrasim sapit. Quod tamen non nimium urgebunt qui advertunt quam difficile sit latinis auribus tradere orientalia Ephræmi carmina. Denique desunt totius operis indices, quales in editionibus aliorum Patrum reperiuntur.

6° *Recentiores editiones.* Doctissimus vir G. Bickell, in Universitate OEnipontana professor, edidit syriace et latine 72 hymnorum collectionem quam appellavit *Carmina nisibena*. Hæc collectio supra p. XLVII descripta fuit. Auctor eam deprompsit ex codicibus niriensibus Musæi Britannici, nimirum: ex codd. add. 14572 sæc. VI qui totam fere collectionem continet, ex cod. add. 17142, qui 24 hymnos præbet, ex codd. 14571 sæc. VI qui 16 hymnos tantum habet. Tres alii codices pauca tantum fragmenta referunt. Hymnis præmissa sunt brevia sed docta prolegomena. Editio prodit Lipsiæ anno 1866, in-8.

Huic editioni præiverat J. J. Overbeck in libro cui titulus *S. Ephræmi Syri, Rabulæ episcopi edesseni, Balæi aliorumque opera selecta*. Oxonii, 1865, in-8. Insunt sequentia S. Ephræmi scripta syriace tantum: 1° Contra Julianum regem qui abnegavit et contra doctrinas falsas et contra Judæos hymni 4; 2° duo sermones adversus doctrinas falsas; secundus inscribitur ad Hypaten (Hypatium),

Manetem, Marcionem et Bardesanem; 3° Sermones et fragmenta de creatione mundi, de transgressione Adæ, quod mortalis creatus sit et dæmon non sit creatus malus. Hoc quidem in titulo, in textu autem superstite non docet Ephræmus Adamum mortalem fuisse creatum, bene vero arborem vetitam fuisse ficum; 4° Sermones de miraculis a Moyse in Ægypto patratis, et de descensu Spiritus sancti et divisione linguarum, de jejunio, de amore Dei (non de misericordia ut vertit Overbeck); 5° epistola ad monachos montenses; 6° demonstratio adversus Bardesanem; 7° Ephræmi testamentum; 8° tres hymni de paradiso qui desunt in editione romana; 9° homilia de baptismo Constantini. Variæ lectiones, ubi plures suppetebant codices seperatim appositæ sunt. caret autem editio versione latina et notis criticis. Omnia ista opuscula ex codd. nitr. Musæi Britannici desumpta sunt, excepta homilia de baptismo Constantini, ex cod. Oxon. sæc. XV vel XVI exscripta.

Pius Zingerle e codicibus syriacis romanis recentioribus anno 1868 Brixiae edidit duos sermones Ephræmi de Monachis syriace cum lexico et notis sed absque versione latina. Anno sequenti, OEniponti, in primo tomo libri cui titulus: *Monumenta syriaca ex codicibus Vaticanis collecta* edidit tertium Ephræmi ser-

monem ad monachos syriace tantum; in secundo tomo occurrunt varia citata, ex operibus Ephræmi desumpta, syriace cum nonnullis notis. Doctissimus vir selecta Ephræmi scripta in linguam germanicam vertit et edidit, 6 vol, in-8 OEniponti 1833-46¹.

Selecta Ephræmi opera cum notis anglice e textu syriaco ediderunt J. B. Morris² et H. Burgess³. P. Martin e codicibus Musæi Britannici autographice Parisiis edidit textum syriacum hymnorum in Abrahamum Kidunensem. Hucusque nihil repertum est e textu syriaco commentariorum S Ephræmi in Evangelia et in Epistolas Pauli. At J. B. Aucher Mechitarista latine e versione armeniaca edidit commentaria in epistolas S. Pauli. Venetiis, 1833, 2 vol. in-8. Idem ex armeno latine vertit commentaria Ephræmi in Evangelia, quæ correctæ a G. Moesinger edita sunt Venetiis anno 1876⁴.

VI. QUÆ HUIC TOMO INSUNT.

Hymni
de Epi-
phania.

Primo loco posuimus hymnos quindecim de Epiphania, quos, anno 1879, e codicibus nitriensibus Musæi Britannici exscripsi-

mus. Codices autem illi, e quibus desumpti sunt hymni de Epiphania, liturgici sunt omnes. Sciendum autem est hymnos in ecclesiis Syrorum non ad partem officii essentialem sed ad integram tantum pertinere. Quare nunc plures, nunc pauciores hymni, nunc totus hymnus, nunc selectæ tantum strophæ decantantur, prout Officium liturgicum vel producitur vel protrahitur. Hinc explicatur quo modo factum sit ut collectio hymnorum, quos Ephræmus in Epiphaniam scripsit, integra et absoluta in nullo codice reperiatur et ordo in plerisque codicibus differat. Ex fragmentis in cod. add. 14520 sæc. VIII-IX servatis colligitur Ephræmum, præter hos quindecim quos vulgamus, alios composuisse hymnos in Epiphaniam. Hymnus XV reperitur in codicibus medio loco inter hymnos de Nativitate et de Epiphania positus, ita ut difficile dictu sit ad quodnam festum referri debeat. Cum Ecclesia Latina adorationem magorum ad festum Epiphaniæ referat, idcirco hunc hymnum inter hymnos de Epiphania reponi; putaverim tamen Ecclesiam Edessenam cum Græcis jam ab Ephræmi tempore solam

¹ *Des heil. Kirchenvaters Ephræm Ausgewählte Schriften.* Aus dem Griechischen und Syrischen Übersetzt von Pius Zingerle. Innsbruck 1833-46. 6 vol. in-8.

² *Select Works of S. Ephraem the syrian.* Oxford, 1847.

³ *Select metrical hymns and Homilies of*

Ephraem Syrus. Translated from Syriac. London, 1855. vol. in-12; *The repentance of Niniveh, by Ephraem syrus.* London, 1855, in-12.

⁴ *Evangelii concordantis Expositio facta a S. Ephræmo syro in latinum translata* a R. P. Joanne Baptista Aucher. Edidit G. Moesinger. Venetiis, 1876. in-8.

Christi in baptismo manifestationem in die Epiphaniæ celebrasse. Nam omnes fere hymni de baptismo Christi et de sacramento baptismi agunt. Hymnos XV hic vulgatos subministrarunt codices duo : nempe 1^o cod. add. 14506 sæc. IX-X, fol. 166-183, hymnos 2-4, 6-10, 15. In eodem cod. fol. 115-118 alia manu antiquiore descripti leguntur hymni 2-4, 8-10; 2^o cod. add. 14512, sæc. X subministravit hymnos 1-14. Hymni plures vel pauciores ejusdem collectionis inveniuntur in codd. add. 14515, anni 893; 17141, sæc. VIII-IX; 14520, sæc. VIII-IX; 14501, sæc. XI; 12146, anni 1007, ubi nomen auctoris omissum est. Tanti fecerunt Syri hymnos Ephræmi de Epiphania ut 3^m, 4^m et 13^m inseruerint in ordinibus baptismi Jacobo apostolo et Jacobo Sarugensi inscriptis, quibus usque hodie utuntur Jacobitæ.

Antiquissimum esse Epiphaniæ vel Theophaniæ festum apud omnes in confesso est. Et Latini quidem hac die simul triplicem venerantur Domini manifestationem, qua scilicet ipsius divinitas manifestata est Magis in Bethleem, Joanni ad Jordanem et discipulis in Cana Galilææ. Græci vero, quum de Magorum adoratione die ipso Christi natali jam egerint, hodie Dei apparitionem in baptismo

Christi factam, seu ipsum ejus baptismum recolunt. Ad rem S. Joannes Chrysostomus : « Quamnam igitur ob causam hæc Epiphania appellatur? Quia nimirum non omnibus manifestus est reditus, quum partu est editus, sed quum est baptizatus¹. » In eodem sensum loquitur S. Gregorius Nazianzenus². « Etenim sanctus Luminum dies (Epiphania) ad quem pervenimus, et quem hodie divino beneficio celebramus, originem quidem a Christi mei baptismo ducit... Jam Christi quidem nativitas congrua solemnitate prius, tum a me festi duce et auspice, tum a vobis, atque adeo ab omnibus, tam qui in mundo versantur, quam qui in mundo sublimiores sunt celebrata est. Cum stella cucurrimus, cum Magis adoravimus, cum pastoribus luce circumfusi sumus, cum angelis divinam gloriam prædicavimus, cum Simeone in ulna accepimus, cum Anna, illa, inquam, vetula et casta femina, confessi sumus; ei quoque, qui ut alienus in propria venit, gratia habeatur, quod exterum hominem et peregrinum gloria affecit. Nunc alia Christi actio, aliudque mysterium sequitur... Christus illuminatur, simul illustremur; Christus baptizatur, simul descendamus, ut simul etiam ascendamus. »

¹ *Homilia de baptismo Christi*, n. 2, ap. Migne, *Patrol. gr.* XLIX, 365.

² *Oratio 59 in Sancta lumina*, n. 1, 14, ap. Migne, *Patrol. gr.* XXXVI, 556, 550.

Jam sæculo tertio S. Gregorius Thaumaturgus, si ejus est homilia in *sancta Theophania*¹, et S. Hippolytus², solemniter celebrabant festum Epiphaniæ seu baptismi Christi, et patet ex verbis S. Hippolyti tunc baptisma catechumenis collatum fuisse. Hoc festum fuit adeo celebre sæculo IV tum in Occidente tum in Oriente, ut vel impiissimi imperatores ausi non sint ab ea celebritate abesse. Si quidem Julianus apostata qui pallio christianæ religionis latentem impietatem studebat contegere, cum esset in Galliis voluit ea die cum ceteris christianis sacris interesse mysteriis, ut scribit Ammianus Marcellinus, 21. Idipsum præstitit in Oriente Valens imperator Arianus, ut de eo scribit S. Gregorius Nazianzenus in oratione *De laud. Basilii*³.

Quum igitur eadem solemnitate perageretur festum Epiphaniæ in Mesopotamia et in eo memoria celebraretur baptismi Salvatoris et conferretur sacramentum baptismi, S. Ephræmus pro hoc festo, sicut pro aliis Domini nostri festis hymnos plures composuit. In hymno I describit varias baptismi figuras ex veteri Testamento, deinde transit ad baptismum Christi a Joanne. Strophæ 11-19 habentur in sermo-

ne seu hymno quarto de Nativitate⁴, forsitan in utroque hymno insertæ fuerint istæ strophæ, quia simul agunt de stella Magorum et de prædicatione Joannis.

Hymnus II coronas nectit Regi qui *Oriens* appellatur, singulis ejus triginta annis singulas coronas nectunt diversæ creaturæ. Iste hymnus tertius decimus est inter hymnos de Nativitate in editione Romana, quæ pro more tonum et responsoria omittit, nostri autem codices illum Epiphaniæ adscribunt. Ex codicibus et e mensura versuum patet multa menda irrepsisse in editionem Romanam.

In hymno III agit sanctus Doctor de unctione olei quæ fit in baptismo et varias illius figuras e veteri Testamento describit exclamans: « beati estis agni a Christo obsignati qui corpore et sanguine digni effecti estis. Ipse pastor pabulum vobis factus est. » Nonnullæ hujus hymni strophæ recitantur in Ordine baptismi a Jacobo Edeseno composito, dum sacerdos corpus puellæ baptizandæ inungit oleo olivæ.

Hymnus IV canitur a diaconis dum baptizandi oleo catechumenorum uncti immerguntur in aquis baptismi. Docetur hoc hymno homines per baptismum a pec-

¹ App. Migne, *Patrol. gr.* X, 1178.

² *Sermo in sancta Theophania.* App. Migne, *Patrol. gr.* X, 851.

³ Ap. Migne, *Patrol. gr.* XXXVI, 564-564. De festo Epiphaniæ vid. quæ scribit R. P. Nilles, *Ka-*

alendarium manuale utriusque Ecclesiæ Orientalis et Occidentalis. OEniponte, 1879. T. I, p. 54, sqq.

⁴ *Opp. Syr.* II, 415, sqq.

catis abluī, gratia vestiri, Deo coadunari. Hi baptismi effectus et ceremoniæ hymnis V, VI, VII et VIII sub variis figuris describuntur. « Parvo Jordanis fluvio, inquit, major est baptismus, cujus aquis cum oleo abluuntur omnium peccata. » « Adamus illico innocentiae nitorem exiit, vos autem innocentiae nitorem illico induistis. » « Hodie deleta sunt peccata vestra et inscripta nomina. Sacerdos illa delevit in aquis, Christus hæc descripsit in cœlis. » Post baptismum sacra communitio porrigebatur. « Manducate, inquit, corpus vivum, pharmacum vitæ omnes vivificans. Baptizati accipite lampades vestras ut viri Gedeonis... Corpus lassum dum aquis lavatur recreatur a labore. Ecce lavaerum in quo recunduntur quies, vita et deliciae. In eo requievit Adam lassus qui laborem introduxit in mundum.... Descendit Deus in aquas ut in nos veniret ibique maneret, sicut antea ex misericordia descendit in uterum virginis. » Sacramentum confirmationis apud Syros « perfectio » seu complementum appellatur, quia immediate post baptismum conferebatur et ejus ceremonias quasi complebat; ad hoc alludit Ephræmus: « Super Moysen illapsus est Spiritus Dei, super vos perfectio Christi. » Hymnum octavum hisce verbis claudit: « Pro-

phetæ Altissimum vocarunt ignem vorantem... Estis omnes illo igne per oleum uncti, per aquam induti, per panem relecti, per vinum potati, voce illum audistis, mentis oculo illum contemplati estis. »

Hymni IX et X agunt de baptismo Christi in Jordane et de baptismi sacramento. Christus suo baptismo aquas sanctificavit ut iis baptizaremur. Alludit auctor ad lucem quæ in baptismo Christi in aquis Jordanis resplenduit, cujus meminit S. Justinus¹. « Christi conceptio nobis thesaurus est benedictionum, nativitas cumulus gaudiorum, baptismus causa miserationum, mors causa vitæ nostræ. Mors ejus resurrectione devicta est. In ejus nativitate stella lucida effulsit in aere; in baptismo lux ex aquis resplenduit; in morte sol obscuratus est in firmamento; in passione stellæ cum ipso defecerunt; in Epiphania stellæ cum ipso apparuerunt. » Docet omnibus baptismum esse necessarium. « Si ille qui ceteros purificat baptizatus est, quis est qui baptismo non indigeat? »

Secunda pars hymni X deest.

Hymno XI docetur baptismum Joannis non habuisse eandem vim cum baptismo Christi: « Joannes, qui magnus fuit inter natos mulierum, Christo inferior fuit, quia ab eo baptizati rursus baptismum Apostolorum suscipere debuerunt. »

¹ *Dal. cum Triph.* 88.

Hymnus XII statuit peccatum originale baptismo deleri : « In baptismo invenit homo gloriam inter arbores paradisi perditam... Lapsus est vir in paradiso, at Misericordia restituit eum in baptismo; perdidit suam pulchritudinem per invidiam diaboli et recuperavit eam per gratiam Christi. »

Hymnus XIII eandem doctrinam asserit et explicat rationem cur vestibus candidis baptizati induuntur. « Vestes vestrae, fratres, candidae sunt ut nix, et nitor vester refulget ut nitor angelorum. Splendent vestimenta vestra, nitent coronae vestrae. In paradiso vae in Adamum latum est; vos autem hodie laudem accepistis. » Iste hymnus recitatur dum baptizatis sacra communio distribuitur.

In hymno XIV colloquium pulcherrimum instituitur inter Joannem Baptistam et Christum. Strophae alphabeticæ sunt. Joannes renuit baptizare suum Dominum, Christus urget eum; tandem Baptista coactus consentit eumque baptizat. Ejusdem est generis hymnus XV, jam sub nomine Ephræmi in Breviario maronitico et inde in tomo III. Opp. græcolat. p. 601-603 editus. Colloquium scilicet instituitur inter Mariam et Magos; Beata Virgo, postquam eo-

rum fidem varia objiciendo probavit, tandem declarat se virginem filium peperisse qui Filius Dei est. Hymnum de Jesu et Joanne imitatus est præcipuus græcorum hymnographus S. Romanus in hymno de sacra Theophania, in quo idem colloquium instituitur inter Christum et Joannem¹.

Omnes hos de Epiphania hymnos genuinum esse S. Ephræmi lætæm plura demonstrant. Etenim Ephræmo tribuuntur in septem codicibus supra indicatis, qui codices optimæ notæ et antiqui sunt, siquidem ad octavum, nonum et decimum sæculum pertinent. Præterea stylus, frequentes allusiones ad facta veteris Testamenti, doctrina, Ephræmum produunt auctorem. Ebed-Jesu Khayyat, Amadiæ archiepiscopus², hymnum « de Maria et Magis, » nescio qua auctoritate ductus tribuit Narseti, celebri Nestorianorum sæculi V poetæ. At, ut hic hymnus Narseti tribuatur plura obstant. Etenim Ephræmo tribuitur in codice nostro A sæculi IX vel X, in quo multa genuina habentur Ephræmi opera. Si quæ alterius sunt auctoris, hæc Jacobi Sarugensis sunt; alicujus autem scriptoris nestoriani hymnos occurrere in codice Jacobitico inauditum prorsus est. Præterea Breviarium Maronitarum Ephræ-

¹ Ap. Em. Card. Pitra, *Analecta sacra*. Paris, 1876, p. 16, sqq.

² *Syri orientales, seu Chaldei, Nestoriani et*

Romanorum pontificum primatus. Romæ, 1870, p. 158.

mo hunc hymnum vindicat. Reperunt quidem Maronitæ in suis libris liturgicis quædam cantica auctorum monophysitarum, nestorianorum vero nulla. Denique doctrina in hymno « de Maria et Magis, » errori nestorianorum prorsus adversatur, siquidem ad finem Maria declarat se esse « Dei genitricem, » dicens : « Virgo peperit filium. Ipse Filius Dei est. »

Sermo de Domino nostro. Hymnis de Epiphania adjunximus sermonem de Domino nostro, quem, ut ex Catenis Patrum discimus, Ephræmus pro hoc festo composuerat. Alterum pro eodem festo sermonem a S. Doctore conscriptum fuisse ex duabus Catenis Patrum sæculi VIII discimus, sed alter iste sermo, cujus initium : « Pax quam dedit angelus Virgini, » hucusque non est repertus.

In sermone de Domino docet S. Doctor Dominum nostrum ab æterno ex Patre natum esse secundum divinitatem, eundem vero in tempore ex virgine Maria natum esse secundum humanitatem; cum ut hominem, mortem passum esse in cruce, ut Deum vero mortem devicisse, atque sua cruce idololatricam vicisse, et sacrificium propitiatorium obtulisse. Divinitatem porro Christi probant surdi muti sanatio, miracula apostolorum, sanctificatio peccatricis, conversio Pauli, qua simul humilitatem edo-

cemur. Redit deinde ad Simonem pharisæum et peccatricem et sermonem claudit ostendendo Christum se Deum et hominem ostendisse, quando Simeon eum accepit in ulnas suas. In præclaro et protracto isto sermone duo sunt præsertim notanda : 1^o Ephræmus allegat locum Lucæ XXII, 42 de sudore sanguineo Christi in horto et de apparitione angeli confortantis eum, de quo immerito nonnulli difficultates ingerunt. S. Doctor non semel ad hunc locum ^{Sermo de Domino.} provocavit, sed sæpius, ut constat ex Carmine Nisibeno 35, strophæ 18, et ex *Opp. Syr.* II, 392; III, 604; 2^o diserte docet duas in Christo esse naturas absque confusione unitas, ut probavimus in nota ad pag. 226 subjecta. Hæc est vera Ephræmi doctrina circa incarnationem quam evolvit in hymnis adversus scrutatores, de quibus vid. J. S. Assemanus, *Opp. gr.* II, Prol. p. 34.

Hunc sermonem Ephræmo tribuendum esse ex ipso codice, qui antiquissimus est, utpote ad sæculum V vel VI pertinens, jam satis constat. Attamen alia suppetunt argumenta omni exceptione majora : scilicet Philoxenus, Mabugi seu Hierapoleos episcopus, qui vix centum annis post mortem Ephræmi scribebat, in *Epistola de fide ad monachos* (codd. add. 12164, fol. 130, a; 138, a) duo diversa testimonia e *Sermone de*

Domino recitat, cum præmissis verbis : « S. Ephræmi e sermone *gratia accessit ad ora blasphema.* » Unum e duobus illis testimoniis verbotenus legitur infra p. 163; alterum in iis quæ edidimus non occurrit; sed observandum est deesse in nostro codice unum vel plura folia, adeoque exinde nulla difficultas oriri potest, siquidem a Philoxeno recitata correspondeat foliis deperditis. Præterea idem sermo Ephræmo tribuitur in quatuor catenis Patrum octavi vel noni sæculi, quos indicavimus infra p. 144, et verbotenus quædam recitantur prout sunt in codice nostro. Ephræmi esse sermonem pariter asseritur in cod. vatic. 138 et 146 apud Mœsinger.¹

Sermo
de admo-
nitione.

Sermo de admonitione et pœnitentia. Multi exstant Ephræmi sermones sub hoc vel simili titulo inter opera græca et syriaca. Imo titulus hujus sermonis non unus et idem reperitur in codicibus. Exstat in tribus codicibus Musæi Britannici cum diversis titulis. In cod. add. 17109, anni 873-74 titulum habet « de admonitione et pœnitentia, » in cod. add. 14735, sæc. XII inscribitur « de amore doctrinæ; » in codd. add. 14588, « de admonitione; » in duobus autem codicibus Bibliothecæ parisiensis : nempe in codd. 189 et 196 titulus est : « Sermo increpatorius et ad-

monitorius docens et ostendens quomodo Christianus se gerere debeat. » Haud raro accidit pro sermonibus asceticis diaconi Edesseni ut tot habeantur unius ejusdemque sermonis tituli quot codices.

In hoc sermone versibus heptasyllabis composito docet auctor Deo libere esse serviendum, evangelicam doctrinam coactionem non inducere; ab ira abstinendum utpote quæ opponatur charitati, gehenna puniatur, et passione Christi reprobetur; vitandam subsannationem, iræ sociam; fugiendam superbiam sicut et luxuriam. Deinde commendat eleemosynam et orationem, signum crucis atque virtutes generatim. In observatione mandatorum consistit vera libertas; omnes creaturæ hominem ad sua officia adimplenda revocant. Concludit docendo nihil justo timendum et commendando paupertatem evangelicam. Notanda sunt quæ in hoc sermone habentur de signo crucis : « Nihil facias, oratione non præmissa, signo autem vivificæ crucis, ob-signa, fili mi, omnes tuos actus. De janua domus tuæ ne ex eas donec cruce te signaveris; nec in esu, nec in potu, nec in somno, nec in vigilia, nec in itinere, nec in tempore quietis illud signum negligas; nullus est custos illi æquiparandus; sit tibi murus pro-

¹ *Monumenta syriaca ex Romanis codicibus collecta.* OEniponti, 1878. II, p. 41, 51.

tector ante omnes actus; edoce illud filios tuos ut istud sedulo addiscant. »

Genuinum esse hunc sermonem quinque codices supra indicati abunde demonstrant. In textu nihil reperitur quod non sit vere Ephræmianum.

Sermo de peccatrice. S. Lucas VII, 35, sqq. narrat quomodo mulier peccatrix unxit pedes Domini, dum recumberet in domo Simonis Pharisæi. In hanc historiam multa scripsit Ephræmus. Græce duo exstant ejus sermones: prior, a Vossio primum latine editus¹, deinde plenius ab Assemano græce et latine vulgatus, incipit: « Inter multos viros sanctos²; » alter ab Assemano primum editus exorditur: « Simplex nobis labor. » Prior exstat in multis codicibus græcis bonæ notæ, nempe: in codd. vat. 438, 562, 564, 1216, 1633, 1641; in Palat. 364; in Basilianis 13, 87; in Barberinis 248, 249; in Ambros. 4; Passion. 122; in codd. angl. Barocc. 199, 241; in Bibl. Cæs. vind. cod. 116³. Alter exstat in Bibl. Cæs. Vindob cod. 249 apud Lambecium. Porro duo isti sermones nonnisi unum efficiunt. Posterior enim sermo totum priorem continet, adjecto tantum brevi quodam exordio, in utroque igitur sermone mulier peccatrix in seipsa recenset

vitæ ante actæ flagitia, et, audito quod Christus recumberet in domo Simonis pharisæi, consilium inquit cum adeundi, ejus pedes amplectendi atque inungendi ut delictorum veniam consequatur. Vadit igitur ad aromatarium ad unguentum emendum; miscet cum eo prolixum colloquium, in quo agit de rationibus quæ ipsam ad emendum unguentum movent. Empto unguento perguit ad domum Simonis in via orans, deinde accedens Christum inungit. In editione Vossiana quædam hic adjiciuntur adscititia ex *Matth.* XXVI, 10-11, quæ in editione Assemaniana recte omissa fuere. Miratur porro Ephræmus quomodo meretrix ausa sit pedes Christi amplecti et ungere ac capillis inquinatis tergere. Hic terminatur sermo apud Vossium; apud Assemanum vero multum adhuc producitur. Simone enim de mulieris agendi ratione murmurante, Christus eum reprehendit et declarat se mulieri propter ejus amorem peccata condonasse et addit omnes generationes memoriam mulieris celebraturas esse. Concludit hortando ut omnes peccatores pœnitentiam peccatricis imitentur.

Hæc dumtaxat græce habentur, syriaci autem codices alia subministrarunt. Codex nitriensis 17^{us} Bibliothecæ vaticanæ continet pa-

Sermo
de pecca-
trice.

¹ S. Ephræmi opp. III, 215-219. Romæ, 1598.

² Opp. græco-lat. II, 297-306.

³ Vid. Opp. græco-lat. I. Proleg. CXXXVII, CXCVIII.

Domino recitat, cum præmissis verbis : « S. Ephræmi e sermone gratia accessit ad ora blasphema. » Unum e duobus illis testimoniis verbotenus legitur infra p. 163; alterum in iis quæ edidimus non occurrit; sed observandum est deesse in nostro codice unum vel plura folia, adeoque exinde nulla difficultas oriri potest, siquidem a Philoxeno recitata correspondeat foliis deperditis. Præterea idem sermo Ephræmo tribuitur in quatuor catenis Patrum octavi vel noni sæculi, quos indicavimus infra p. 144, et verbotenus quædam recitantur prout sunt in codice nostro. Ephræmi esse sermonem pariter asseritur in cod. vatic. 138 et 146 apud Mæsinger.¹

Sermo
de admo-
nitione.

Sermo de admonitione et pœnitentia. Multi exstant Ephræmi sermones sub hoc vel simili titulo inter opera græca et syriaca. Imo titulus hujus sermonis non unus et idem reperitur in codicibus. Exstat in tribus codicibus Musæi Britannici cum diversis titulis. In cod. add. 17109, anni 873-74 titulum habet « de admonitione et pœnitentia, » in cod. add. 14735, sæc. XII inscribitur « de amore doctrinæ; » in codd. add. 14588, « de admonitione; » in duobus autem codicibus Bibliothecæ parisiensis : nempe in codd. 189 et 196 titulus est : « Sermo increpatorius et ad-

monitorius docens et ostendens quomodo Christianus se gerere debeat. » Haud raro accidit pro sermonibus asceticis diaconi Edesseni ut tot habeantur unius ejusdemque sermonis tituli quot codices.

In hoc sermone versibus heptasyllabis composito docet auctor Deo libere esse serviendum, evangelicam doctrinam coactionem non inducere; ab ira abstinendum utpote quæ opponatur charitati, gehenna puniatur, et passione Christi reprobetur; vitandam subsannationem, iræ sociam; fugiendam superbiam sicut et luxuriam. Deinde commendat elemosynam et orationem, signum crucis atque virtutes generatim. In observatione mandatorum consistit vera libertas; omnes creaturæ hominem ad sua officia adimplenda revocant. Concludit docendo nihil justo timendum et commendando paupertatem evangelicam. Notanda sunt quæ in hoc sermone habentur de signo crucis : « Nihil facias, oratione non præmissa, signo autem vivificæ crucis, ob-signa, fili mi, omnes tuos actus. De janua domus tuæ ne ex eas donec cruce te signaveris; nec in esu, nec in potu, nec in somno, nec in vigilia, nec in itinere, nec in tempore quietis illud signum negligas; nullus est custos illi æquiparandus; sit tibi murus pro-

¹ *Monumenta syriaca ex Romanis codicibus collecta.* OEniponti, 1878. II, p. 41, 51.

tector ante omnes actus; edoce illud filios tuos ut istud sedulo addiscant. »

Genuinum esse hunc sermonem quinque codices supra indicati abunde demonstrant. In textu nihil reperitur quod non sit vere Ephræmianum.

Sermo de peccatrice. S. Lucas VII, 35, sqq. narrat quomodo mulier peccatrix unxit pedes Domini, dum recumberet in domo Simonis Pharisæi. In hanc historiam multa scripsit Ephræmus. Græce duo exstant ejus sermones: prior, a Vossio primum latine editus¹, deinde plenius ab Assemano græce et latine vulgatus, incipit: « Inter multos viros sanctos²; » alter ab Assemano primum editus exorditur: « Simplex nobis labor. » Prior exstat in multis codicibus græcis bonæ notæ, nempe: in codd. vat. 438, 562, 564, 1216, 1633, 1641; in Palat. 364; in Basilianis 13, 87; in Barberinis 248, 249; in Ambros. 4; Passion. 122; in codd. angl. Barocc. 199, 241; in Bibl. Cæs. vind. cod. 116³. Alter exstat in Bibl. Cæs. Vindob. cod. 249 apud Lambecium. Porro duo isti sermones nonnisi unum efficiunt. Posterior enim sermo totum priorem continet, adjecto tantum brevi quodam exordio, in utroque igitur sermone mulier peccatrix in seipsa recenset

vita ante actæ flagitia, et, audito quod Christus recumberet in domo Simonis pharisæi, consilium inquit cum adcundi, ejus pedes amplectendi atque inungendi ut delictorum veniam consequatur. Vadit igitur ad aromatarium ad unguentum emendum; miscet cum eo prolixum colloquium, in quo agit de rationibus quæ ipsam ad emendum unguentum movent. Empto unguento pergit ad domum Simonis in via orans, deinde accedens Christum inungit. In editione Vossiana quædam hic adjiciuntur adscititia ex *Matth.* XXVI, 10-11, quæ in editione Assemaniana recte ommissa fuere. Miratur porro Ephræmus quomodo meretrix ausa sit pedes Christi amplecti et ungeri ac capillis inquinatis tergere. Hic terminatur sermo apud Vossium; apud Assemanum vero multum adhuc producit. Simone enim de mulieris agendi ratione murmurante, Christus eum reprehendit et declarat se mulieri propter ejus amorem peccata condonasse et addit omnes generationes memoriam mulieris celebraturas esse. Concludit hortando ut omnes peccatores pœnitentiam peccatricis imitentur.

Hæc dumtaxat græce habentur, syriaci autem codices alia subministrarunt. Codex nitriensis 17^{us} Bibliothecæ vaticanæ continet pa-

Sermo
de pecca-
trice.

¹ S. Ephræmi opp. III, 215-219. Romæ, 1598.

² Opp. græco-lat. II, 297-306.

³ Vid. Opp. græco-lat. I. Proleg. CXXXVII, CXCVIII.

rænesin versibus heptasyllabis conscriptam, quæ incipit : « *بسم الله الرحمن الرحيم* sine te hoc exorem, magne summe medice. » Ex illo codice eam edidit P. Benedictus¹. Rogat S. Doctor magnum medicum Christum ut sibi veniam peccatorum indulgeat, sicut peccatrici omnipotenti misericordia condonavit et integram animæ puritatem restituit. Docet Deum non lætari in perditione impiorum et neminem, etiamsi sit, ut peccatrix, multorum criminum reus, et post pœnitentiam relapsus, de condonatione unquam desperare posse; pœnitentem autem lacrymis et amore peccatricis indigere ut Deum sibi reconciliet; Christum ex amore et misericordia in peccatores Simonis invitationi annuisse ut peccatrix ad se accederet. Describit deinde mores et flagitia peccatricis, quam unam et eandem esse ponit cum Maria Lazari sorore et cum Maria Magdalena e qua Christus septem dæmones eiecerat. Sequitur peccatricis ad Christum accessus et humilis ejus oratio; describitur ratio conversionis impii et peccatricis. In effusione unguenti et in lavatione pedum per lacrymas eorumque extersione videt S. Pater figuram baptismi quo peccata abluuntur. Post hæc fuse agit de prava pharisæi suspitione qua putavit Chris-

tum ignorare quænam mulier accederet, de parabola Simoni a Christo proposita, de suavi odore quem unguentum e contactu corporis Christi emisit, de Judæ avaritia. Concludit hortando tenerrime peccatores ut sua pœnitentia peccatricem imitentur.

Alium sermonem metricum hucusque ineditum nobis præbuerunt duo codices Musæi Britannici; nempe cod. add. 14651, scriptus anno Christi 850, et cod. add. 17226, sæc. XII. Iste sermo exstat etiam arabice in Bibl. vat. cod. Bæreeñsi 1 et in Bibl. Paris. cod. syr.-carsh. 194 cum titulo « de Maria peccatrice. » Habet plura cum sermonibus græcis consona, alia in parænesi mox exposita occurrentia, multa etiam sibi propria. Auctor animas auditorum excitat ad considerandam omnipotentem Dei misericordiam in miraculis Christi et in conversione peccatricis conspicuam. Peccatrix depingitur peractam deflens vitam, luxuriæ excitamenta a se removens, et cum alabastro ad aromatarium pergens. Instituitur colloquium inter eam et aromatarium, brevius illo quod habetur in sermonibus græcis. Accepto unguento mulier gressus dirigit ad domum Simonis, occurrit ei Satanus sub forma primi illius amatoris, et, instituto colloquio,

¹ *Opp. syr.-lat.* III, 387-412.

eam frustra seducere conatur. Repulsus inde insidiosè aggreditur Simonem, qui narrat ei præcipua Christi miracula. Peccatrix mox ad januam Simonis adstat et abundantes fundens lacrymas Christi misericordiam implorat; repellit eam Simon, sed Christus jubet ingredi et Simonem parabola reprehendit. Oratio hic abrupte terminatur, codices differunt, quasi finis esset deperdita.

Alium adhuc sermonem versibus heptasyllabis etiam compositum descripsimus e codicibus Bibliothecæ parisiensis. 196 et 189, de quibus infra. Agit in eo S. Doctor de unctione Bethaniæ in domo Simonis leprosi peracta quam eidem peccatrici tribuit. Unde rursus colligitur Mariam, Lazari sororem, quæ Christum in Bethania unxit et peccatricem, de qua sermo est apud Luc. VII, Ephræmo unam eandemque esse personam. Docet mulierem ex fide et amore caput Christi unxisse ut obtineret remissionem suorum delictorum, et unguentum suaviorem effudisse odorem ex quo corpus Christi attigit. Sequitur vehemens in avarum Judam objurgatio, qua prior sermonis pars concluditur; in altera parte agitur de præparatione paschatis quam Matthæus immediate post Bethaniæ unctionem narrat. Modo diximus de peccatrice etiam agere

S. Ephræmum in sermone « De Domino nostro » Unde patet Syrorem vatem sæpius de peccatrice in suis prædicationibus egisse.

Sermones octo in Hebdomadam sanctam, diem resurrectionis, et Dominicam novam. Omnes isti sermones metricè versibus heptasyllabis exarati sunt. Primus veluti introductio est agens de Christo et Ecclesia; secundus agit de unctione Christi in Bethania et de præparatione paschæ, *Matth.* XXVI, 6-19; tertius de lavatione pedum et prodicione Judæ, *Joan.* XIII, 4-11; quartus iterum de lavatione pedum et institutione Eucharistiæ, *Joan.* XIII, 12, sqq.; *Matth.* XXVI, 16, sqq.; quintus et sextus de passione et morte Christi; septimus de resurrectione; octavus de apparitione ad Thomam, *Joan.* XX, 24-29.

Horum sermonum primus legitur in Ecclesia Jacobitica feria 2^a passionis ad vespèras. Syri Jacobitæ hebdomadam sanctam, quam *hebdomadam passionis* appellant, inchoant a feria 2^a. Siquidem Dominica in palmis apud eos terminat tempus quadragesimale et constituit peculiarem festivitatem quam *Hosannarum* appellant, pro qua dominica exstat S. Ephræmi « Sermo adversus Judæos¹. » Secundus legitur feria 3^a ad officium noctis; tertius feria 4^a ad officium

¹ Habetur in *Opp. syr.-lat.* II, 209, sqq.

noctis; quartus feria 5^a ad officium noctis; quintus et sextus feria 6^a ad officium noctis et matutini; septimus die resurrectionis ad officium noctis; octavus dominica nova, id est dominica in albis ad officium noctis.

Exscripti sunt isti sermones e tribus Bibliothecæ parisiensis codicibus, nempe ex codd. 196, 189, et 200. Codicem 196 sæculo XIV exaratum fuisse e scriptura colligi videtur. Certe Josephus seu Cyrillus, Hahæ in regione Turabdinensi episcopus, codici, qui Ecclesiæ S. Domitii donatus fuit, manum, anno 1417, apposuit. Codex 189 recentior est. Putat D. Zotenberg hunc codicem e præcedenti manu Eusebii Renaudotii descriptum esse. Codex 200 Parisiis, anno 1692, exaratus fuit ab Abdul-Ahad-Ben-David Amidensi. Rursus putat D. Zotenberg hunc codicem ex cod. 196 descriptum, quod non ausim affirmare propter varias hujus codicis lectiones et suppletas satis multas voces quæ in duobus præcedentibus codicibus non amplius legi possunt. Variæ porro lectiones et glossemata hujus codicis fere semper mendosa sunt et ex codice, a codice 196 diverso, desumpta videntur. Isti octo sermones non continent omnia quæ Syrorum doctor de pas-

sione scripserat, nam vix dubium sit omnes passionis circumstantias a sancto doctore explicatas fuisse; nihil autem habet de iis quæ in horto olivarum contigerunt, nihil pariter de illusionem Christi ab Herode. Præterea memoratur a Philoxeno Mabugensi *Sermo de latrone*, qui hucusque non est repertus. Quum autem sermones quos vulgamus desumpti sint ex codice liturgico, mirum non est omnes S. Doctoris sermones in hebdomadam sanctam in iis non haberi. Idem contigit pro homiliis Patrum quæ in nostris breviariis recitantur. Sermones et hymni S. Ephræmi de passione memorantur in *Actis* ejus¹. S. Joannes Maro vel quisquis est auctor operis ejus nomine inscripti provocat ad Ephræmi sermonem tertium de passione. Verba autem citata quoad sensum conveniunt cum iis quæ habentur in sermone secundo apud nos². Exscriptimus etiam e cod. par. 161, sæc. X vel XI quasdam preces حَقْل de passione, quæ e nostris sermonibus partim desumptæ sunt. Sic precatio quæ recitatur ad 3^m stationem nocturni in sancta Parasceve tota fere desumpta est e sermone V de passione n. 2 et 11. Aliæ autem preces seu rogationes حَقْل agunt de iis passionis circumstantiis de quibus nihil occurrit in sermoni-

¹ *Opp. syr.-lat.* III, præf.

² S. Joannes Maro, *Exposit. Minist. oblationis*

D. Jacobi, c. 16-19, ap. Al. Asseman., *Cod. liturg.* t. V.

bus quos vulgamus. Externis hisce testimoniis, quæ sermones istos genuinum esse Ephræmi opus ostendunt, interna adjungenda sunt argumenta. Et primo quidem stylus ubique Ephræmum auctorem prodit. Locutiones, antitheses, metaphoræ, allusiones, Ephræmo usitatæ, ubique occurrunt. Sic in sermone IV loquens de Eucharistiâ eam appellat *λίαν carbonem* et visionem Isaïæ eodem prorsus modo Eucharistiæ accommodat prout fecit in commentario. Habet Ephræmus peculiarem opinionem circa negatam Judæ a Christo Eucharistiam. Ista eadem opinio, quæ in sermone IV explicatur, pluries in hymnis de « azymis » et in « Evangelii expositione » asseritur. In eodem sermone loquens de sacramento Eucharistiæ S. Doctor scribit: « qui manducat illud in fide ignem et spiritum in illo manducat. » Porro eadem locutione eandem rem designat in Hymnis *adversus scrutatores*¹. Jacobus Sarugensis eandem quidem cum Ephræmo opinionem habet, circa negatam Judæ Eucharistiam, quæ græcis et latinis ignota est. At Jacobus Sarugensis auctor haberi nequit sermonum de passione; nam ipse alios de passione sermones scripsit, qui in eodem codice 196 immediate post Ephræmi sermones habentur. Præterea Jacobus Saru-

gensis continuo utitur versu duodecim syllabarum. Docet Ephræmus Christum pascha manducasse die 14^a nisar ad vesperam; idem docet in hymnis de azymis. In sermone V agens de servo, qui alapam Christo infligit, observat servum alapam in gena recipere quando manumittitur; idem iisdem verbis observat in hymnis de crucifixione et in sermone græco de passione. In sermone II docet Christum præfiguratum fuisse per arietem, qui crucifixus apparuit in arbore subito exorta, quum Abrahamus immolare voluit Isaacum; idem iisdem fere verbis explicat in Commentario ad hunc locum Genesios. Quæ habet de descensu Christi ad inferos concordant cum iis quæ occurrunt in hymnis *De crucifixione* et in *Carminibus nisibenis*, ubi de *Νοε* (*inferis*) agitur. Exstant græce duo Ephræmi sermones de passione. Doctrina, sententiæ, locutiones, metaphoræ, stylus eundem produnt auctorem, qui nostros sermones et hymnos de crucifixione scripsit. Hæc sufficiant ut constet sermones de *Passione et Resurrectione* genuinum Ephræmi opus esse.

Primus sermo veluti introductio est agens de Christo et Ecclesia. In ^{1^{us} sermo de Christo et Ecclesia.} universum mundum exierunt apostoli Evangelium ubique prædica-

¹ *Opp. syr.-lat.* III, 22-24. Cfr. etiam hymni

de *Epiphania* V, 4; VI, 7; VIII, 6.

turi. Simon in Roma prædicabat : « Dominus meus ille est qui reges subvertit. » Reponabant ei : « Occisus est magister tuus, quomodo reges subvertere potest ? » Respondens Simon exponit quis sit Christus et docet eum esse suis miraculis regibus superiorem, in divina sua persona duas univisse naturas, divinam et humanam, occisum fuisse ab antiqua synagoga, in ejus locum successit Ecclesia, cui dedit corpus et sanguinem suum.

2^{us} Ser-
mo præpa-
ratio pas-
schatis.

In secundo sermone agitur de unctione Christi in Bethania¹, deinde de præparatione paschatis. Docet Petrum, Ecclesiæ fundamentum, cum Joanne virgine a Christo missos esse ut pararent pascha et, vespere facto, Christum discubuisse cum duodecim apostolis, pascha legale manducavisse et Eucharistiam instituisse. Totus est in hoc sermone in instituenda comparatione inter pascha Judæorum et pascha nostrum.

3^{us} Ser-
mo Lotio
pedum.

In sermone tertio disserit S. Doctor de lotionem pedum, quæ, juxta illum et juxta multos interpretes, peracta fuerit antequam Christus institueret Eucharistiam. In hac pedum lotionem Salvator verbis et exemplo docet humilitatem, Petrum ex humilitate renuentem cogit ut pedes, sicut ceteri, lavandos præbeat. Quum deinde Dominus declarasset apostolos mundos

4^{us} Ser-
mo Petri
primatus.

¹ Vide supra p. LXIX, sq.

esse, sed non omnes, et hac ratione designasset proditorem, Ephræmus hunc sermonem terminat per vehementissimam objurgationem in Judam, miraculorum et beneficiorum Christi immemorem.

Sermo quartus narrat Eucharistiæ institutionem et totam Ecclesiæ de hoc sacramento et de missæ sacrificio doctrinam pandit. Præmittit autem quædam notatu valde digna circa Petri jura. Antiquissimum hoc est Ecclesiæ Syriacæ testimonium de primatu Petri. Ita autem clara et aperta sunt Ephræmi verba, ut clariora non occurrant apud Patres latinos aut græcos.

4^{us} Ser-
mo Eu-
charistia.

Jam supra in sermone secundo Petrum vocaverat « Ecclesiæ fundamentum » et in sermone primo assuerat « Simonem Romæ prædicasse ; » imo in *Carminibus nisibeno* 59 retulerat « Simonem deorsum in ligno fuisse crucifixum ; » hic autem diserte ejus primatum infallibileque magisterium asserit hisce verbis : « Simon, discipule mi, ego te constitui fundamentum Ecclesiæ sanctæ, Petram vocavi te antea, quia tu sustinebis totum meum ædificium ; tu es inspector (Ἰεροῦ Ἐπισκοπος) eorum qui ædificant mihi Ecclesiam in terris ; si quid reprobum (adeoque si quid erroneum) ædificare velint, tu fundamentum reprimas eos ; tu es caput fontis a quo hauritur doc-

Petri
primatus.

Agit igitur de prima Christi interrogatione, quam ab Hanan pontifice factam tenet, quod et opinatus est S. Augustinus¹. Plerique autem interpretum cum Cyrillo Alexandrino docent Christum in domo pontificia a Caipha fuisse interrogatum, ubi Petrus Dominum suum ter abnegavit. Ephræmus autem quum sentiat primam Christi interrogationem apud Hanan locum habuisse, apud eum etiam ponit primam Petri abnegationem. Postquam igitur illam abnegationem exhorruit invehitur in alapam Salvatori a servo pontificis inflictam. De hac alapa agit etiam in hymno 5 de crucifixione.

6^{us} Sermo de passionis.

Sermo sextus sistit Jesum coram Pilato, a Judæis accusatum et a præside interrogatum. Barabbas præfertur Christo qui mox flagellatur. Cetera passionis acta, corona spinea, ecce homo, damnatio ad mortem, crucis bajulatio, crucifixio, tenebræ, sortes, verba Christi in cruce, ejus mors et descensus ad inferos quam eloquentissime describuntur. Iste sermo sua eloquentia, sublimitate, doctrina, inter præcipuas facundivatis orationes jure computandus est. Totam expandit doctrinam catholicam de incarnatione et redemptione Quæ habet de duabus naturis, in una Christi persona unitis, confusione operiunt monophy-

Ducit in Christo naturæ.

sitas et nestorianos. Vix aliquid clarius dici potest, ita ut exinde recte colligamus istos sermones a Jacobitis non fuisse adulteratos.

Audiantur hæc quæ habet de Christi flagellatione : « Pilatus mente destitutus jussit Jesum flagellari. Ne auditores offendatis ad sensum hujus vocis, quia Deus non flagellatur neque moritur. Neque enim spiritus attrahi potest, neque ignis² potest vinculis constringi absque corpore apprehensibili, neque anima videri aut morte communi mori nisi in corpore mortali, nec humanas pati passiones nisi in natura corporali. Sicut per corpus honoratur Christus, sic per illud opprobriis afficitur. Si corpus flagellatur, per naturam suam corporalem (ὁλοῦσα per corporeitatem) ipse patitur. Corpus vitam non præstat et cadaver a flagellis nihil patitur. Pati nequit divinitas; nec mori et rursus vivere potest Deus, qui sempiterna est vita et inscrutabilis. In assumpto autem corpore Christus, unicum Dei verbum, venit ad nativitatem et incrementum, formam visibilem et nutrimentum accepit (verbotenus : venit ad nativitatem, ad corpus, ad visum et ad nutrimentum), atque submissus fuit per generationem temporibus et numeris. In divinitate et humanitate Eutychianos. Pias tamen lecto-

¹ De consensu Evang. III, 6, n. 24.

² Christi divinitas ignis metaphora sæpius in hymnis de fide adversus scrutatores significatur.

ris aures fortasse offendit verbum illud **ܡܫܠܝܘܢ** et **ܡܫܠܝܘܢ**, hoc est, *miscuit*, quod ab Ephræmo de naturis divina et humana dicitur, quasi Eutychianam sapiat hæresim. Verum hoc longe abest a mente S. Doctoris, uti ex progressu laudati hymni apparet. Præterea idem Ephræmus aliis in locis misionem confusionemque naturarum expresse rejicit, ut infra ostendemus ex hymno ejusdem de *Annuntiatione Beatæ Mariæ Virginis*. » Hoc quidem infra non ostendit clarissimus vir; sed pergit: « Notandum est igitur verbum **ܡܫܠܝܘܢ**, et **ܡܫܠܝܘܢ**, quibus S. Doctor frequenter utitur, generatim de qualibet conjunctione a Syris usurpari. Audi Philoxenum in *Tract. de Verbi Incarnat.* cod. nitr. 25, f. 22: « Dicitur autem *commixtus et conjunctus* (**ܡܫܠܝܘܢ / ܡܫܠܝܘܢ**), prout loquuntur Doctores qui syriaco sermone claruerunt, non quidem *commixtione vulgari, quæ confusionem infert* (**ܡܫܠܝܘܢ / ܡܫܠܝܘܢ**) neque *conjunctione, quæ corruptionem inducit* (**ܡܫܠܝܘܢ / ܡܫܠܝܘܢ**); sed commixtus est admirabili et nova quadam ratione prout Deum decet. » Sed clarius, pergit Assemanus, et magis ad rem nostram in *Epistola ad monachos Senu-nenses* in Mesopotamia, cod. nitr. 27, f. 89 a tergo, adducit Philoxenus ipsissima hæc Ephræmi verba quæ fol. 91 sic interpretatur: « Item

quum ait (Ephræmus) *miscuit naturas tamquam pharmacum, id pro univit* (**ܡܫܠܝܘܢ**) intellexit. Non enim existimavit Sanctus, eo modo naturas divinitatis et humanitatis *ad commixtionem* (**ܡܫܠܝܘܢ / ܡܫܠܝܘܢ**) venisse, quo aqua et vinum, quæ naturarum suarum veritatem per commixtionem amittere solent, diversumque saporem acquirere. Absit ut ita de Verbo ejusque corpore aut Sanctus ille, aut alii eidem æquales, aut nos ipsorum discipuli sentiamus, et dicamus eas instar aquæ et vini permixtas fuisse. Sed quia haud solet lingua nostra syriaca accuratis de divina incarnatione et incomprehensibili unione vocabulis uti, quemadmodum græci recte usurpant, ideo pro *natura unita*, quod vocabulum Syris ignotum erat, scripsit beatus Ephraem, *commixta* et pro *Verbum incarnatum Deusque homo factus*, quod in symbolo nicæno legitur, et a græcis Patribus frequenter usurpatur, dixit *factus est persona Deus Homo*, quum dicere debuisset, *ipsemet Deus est et homo* (**ܡܫܠܝܘܢ / ܡܫܠܝܘܢ**). »

Hactenus Philoxenus monophysita, qui tamen errat quando scribit Syris ignotam fuisse locutionem « *natura unita* » (صلوات واحد); nam S. Ephræmus supra dixit *duas naturas unitas esse in hypostasi* (لأسبوه حصه واحد) Observat J. S. Assemanus S. Doctorem verbo ^{٢٧} *usum esse in Commentario in Isaiam. Stephanus Aldoënsis, Maronitarum patriarcha*¹, idem docet exponens verba quæ sacerdos apud Maronitas recitat, dum particulam corporis in calicem immittit, dicens : « Commiscuisti (ملا) Domine, divinitatem tuam cum nostra humanitate, et humanitatem cum tua divinitate. » Addit Stephanus : « Hoc vocabulum dicitur de qualibet re quæ cum alia cunjungitur, vel communicat, vel unitur juxta illud *Is. V, 8 Væ qui conjungitis domum ad domum, et agrum agro admiscetis* (ملا) ². »

7^{us} Sermo Resurrectionis.

Sermo septimus agit de Christi resurrectione. Describit S. Doctor Christi resurrectionem ejusque resuscitati corporis dotes, apparitionem Mariæ Magdalenæ, iter Petri et Joannis ad sepulchrum, apparitionem discipulis in ipsa resurrectionis die.

8^{us} Sermo Apparitionis Thomæ.

Sermo octavus, ceteris brevior, totus est in exponenda Christi apparitione apostolo Thomæ facta, octava post resurrectionem die.

Hymni azymorum. Hymnos azymorum seu de sacra cœna nobis suppeditarunt duo codices Hymni azymorum ultima cœna. Musæi Britannici antiquissimi; nempe : cod. add. 14627, sæc. VI vel VII, qui continet hymnos 1-6; 13-21; cod. add. 14571, scriptus anno græcorum 830, Christi 519, qui solummodo hymnos 1-2 habet. Citantur hymni azymorum in duabus Catenis sæc. VIII quas præbent codd. add. 12155 et 14532. Ex subscriptione, quæ ad finem hymnorum in codice 14627 legitur, constat Ephræmum 21 hymnos de sacra Cœna scripsisse, hymni 7-12 deficiunt.

In his hymnis agit Sytorum vates de mysteriis ultimæ Cœnæ. Hymnus primus veluti introductio est agens de Christi sacrificio; hymnus secundus docet Judæorum sacerdotes victimas obtulisse irrationales, omni sanctificandi virtute destitutas, Christum vero factum esse in Eucharistia sibi ipsi sacerdotem et victimam. Hymnis tertio, quarto et quinto egregia instituitur comparatio inter agnum paschalem et agnum veritatis. Hymno sexto docetur Christum agnum paschalem cum suis discipulis comedisse, azyma Judæorum abolevisse, et instituisse Eucharistiam. Hymnus decimus tertius alludit ad varias passionis circum-

¹ *Exposit. Missæ Syror. candelabro 10, cap. 6.*

² Vid. J. S. Assemanus, *Bibl. Orient.* I, 80-83.

stantias. Hymno decimo quarto docet Ephræmus, exemplo peccatrici Christum ungentis et Joannis in sinu ejus recumbentis, sanctitatem a Christo diligi. Hymni decimus quintus et decimus sextus extollunt Christi victimæ nostræ salvatorisque nostri potentiam. Hymni sequentes de Eucharistia ejusque figuris agunt omnesque hortantur ad agendas gratias Filio qui azyma populi Israël abolevit et dedit nobis corpus suum. In hisce hymnis Syrorum vates eandem pandit doctrinam ac in sermonibus de passione, ita ut concludere possimus eundem esse hymnorum et sermonum auctorem.

Hymni
de cruci-
fixione.

Hymni de crucifixione e duobus codicibus, unde desumpsimus hymnos azymorum, exscripti sunt. Citatur hymnus septimus in cod. 12155, sæc. VIII. Præter hos octo hymnos, S. Ephræmum alios de crucifixione composuisse colligitur ex cod. 14571, in quo duæ strophæ alterius hymni servantur. In primo hymno exprobrat poeta Sioni suam perfidiam, qua, postquam sponso suo magna cum exultatione occurrit, ejus beneficiorum immemor, eum necavit. Hymnus secundus ostendit agnum paschalem typum fuisse agni veri; hymni vero tertius et quartus beatos prædicant cœnaculum, Golgotha et sepulchrum, propter mysteria ibi peracta. Hymno quinto et sexto

agit de alapa Christo inflictâ, de purpureo velo, quod ab altari abstulerunt ut illud Christi humeris imponerent, de flagellatione, de defectu solis et de tenebris in morte Salvatoris offusis. Hymnus septimus agit de tribus diebus; quæ a morte Christi ad ejus resurrectionem computantur. « O momentum breve inquit, valore annos excedens! In eo quippe Dominus gloriæ Patri spiritum suum tradidit. In eo tenebræ factæ sunt, in eo lux illuxit, in eo terra mota est, in eo petra scissæ sunt, in eo omnia gesta sunt. » Denique hymno octavo poeta invitât mensẽ Nisan, Moysen, solem qui defecit, quatuor mundi partes, ut coronam singuli nectant crucifixo. In hisce hymnis, sicut in illis azymorum, multæ occurrunt sententiæ, metaphoræ, allusiones Ephræmo propriæ, quæ pariter in *Sermonibus de passione* occurrunt.

Doctrina S. Ephræmi de Eucharistia. Sæpius in suis scriptis Syrorum Doctor agit de Eucharistia. Et primo quidem docet in hoc sacramento sub speciebus panis et vini contineri vere, realiter ac substantialiter corpus et sanguinem Christi. Hanc realem Christi in Eucharistia præsentiam pluries in suis scriptis jam editis inculcat, nullibi autem tam diserte quam in *Sermone quarto de passione*: « Accipit, inquit, Jesus in manibus suis merum in initio panem et

De Eu-
charistia.

benedixit, signavit ac sanctificavit¹ eum in nomine Patris et in nomine Spiritus sancti et fregit atque distribuit discipulis suis minutatim in sua bonitate propitia; *panem vocavit corpus suum vivum et seipso atque Spiritu replevit illum*; extendens autem manum dedit eis panem quem dextra sua sanctificaverat: « *Accipite, manducate omnes ex hoc quod sanctificavit verbum meum. Quod nunc vobis dedi ne panem existimetis, accipite, manducate illud, nec conteratis micas ejus; quod vocavi corpus meum hoc revera est. Minima ejus mica millia millium sanctificare valet et sufficit ut vitam præbeat omnibus qui manducant eam. Accipite, manducate in fide nihil hæsitantes quia hoc est corpus meum et qui manducat illud in fide ignem et Spiritum in illo manducat.* »

Ignis et Spiritus locutio est apud Ephræmum sæpe obvia, quam ille desumpsit ex Matth. III, 11, ubi Joannes Baptista de Christo dicit: *Ille vos baptizabit in Spiritu sancto et igne*. In illo loco ignis designat efficaciam gratiæ quam dat Spiritus sanctus. Vult igitur S. Doctor hic significare abundantiam gratiarum quam recipienti Eucharistia præbet: qui manducat corpus Christi ignem et Spiritum

seu ignem Spiritus sancti, id est efficacissimam ejus gratiam in illo manducat et recipit. Eadem locutio adhibetur ab Ephræmo *De Epiph. hymn. V, 4; VI, 7; VIII, 6*. In sermone *De iis qui naturam Filii Dei scrutantur* ait: « *Omnem excedit mentem quod nobis fecit Unigenitus Filius Christus salvator noster. Ignem quippe et Spiritum manducandum atque bibendum præstitit nobis carne vestitis, corpus videlicet suum ac sanguinem.*² » *Et Adv. Scrutatores Serm. X* ait: « *Cerno ignem et Spiritum in sinu Matris quæ te peperit, ignem et spiritum cerno in fluvio qui suis te lavit aquis, ignem item et spiritum in regeneratione nostra: in pane et poculo. Panis tuus immanem illum Heluonem occidit, qui suum nos fecerat panem: calix tuus mortem destruxit, quam video nostrum vorasse genus. Etiam te Domine, manducamus et bibimus, non ut tu deficias sed ut nos reficias*³. » Pergit S. Doctor in sermone IV affirmare præsentiam realem et transsubstantiationem. « *Qui illum panem despicit, aut spernit vel contumelia afficit, pro certo habeat quod contumelia afficit Filium, qui panem vocavit et realiter effecit corpus suum. Sumite ex eo, comedite omnes et in eo*

¹ Id est consecravit. Idem cum S. Ephræmo docet S. Thomas, *Summa theol.* 3 part. q. 78, a. 1. Vide infra notam ad p. 415.

² *Opp. græco-lat.* III, 424. Cfr. *Sermo II*, supra ad finem.

³ *Opp. Syr.-lat.* III, 23-24.

comedite Spiritum sanctum; *est enim vere corpus meum.* » Recitando consecrationem calicis idem affirmat. « Postquam, inquit, manducaverunt discipuli panem novum et sanctum *et fide intellexerunt se per eum manducavisse Christi corpus,* continuavit Christus explicare et tradere totum sacramentum. » Addit adhuc: « Jussit eos bibere Christus *et explicavit sanguinem suum esse quem bibebant.* »

Idem realis præsentiæ dogma continuo asseritur in *Hymnis de azymis*. Sic in hymno 6^o: « Inter agnum et agnum steterunt discipuli. Manducaverunt agnum paschalem et agnum verum. » In hymno 19: « Surrexit agnus veritatis et fregit corpus suum discipulis mundis, qui manducaverant agnum paschalem. Pascha mactavit et manducavit, deinde fregit corpus suum; umbram abolevit et dedit veritatem.... Qui accipit eum in oblatione nostra accipit pharmacum vitæ. » In hymno autem 47 *Adversus hæreses*¹ dogmate realis præsentiæ redarguit Bardesanem qui corpus Christi phantasticum inducebat: « Si Dominus corpus phantasticum induit, phantasma frangere deberent, et si figuram sanguinis exhibuit, vini umbram in calicem immittant; si autem panem verum frangunt, ipsum

vere et non phantastice tangunt, ut verum et non phantasticum corpus tetigit peccatrix quæ ad Dominum accessit. » In *sermone 1 in hebdomadam sanctam*: « Pro illa manna quam manducavit ancilla æmulatrix, dedit Dominus *Ecclesiæ corpus suum et suum sanguinem calicem salutis, ut eum manducantes et bibentes filii Ecclesiæ vitam haberent.* »

Confirmatur eadem doctrina ex nomine quo Eucharistia a S. Doctore « Carbo » appellatur: *Carbo* (ܟܪܒܐ) qui admotus sanctificavit labia Isaiæ, *ego sum qui nunc per panem ad vos admotus vos sanctificavi*; forceps quem vidit propheta ex altare carbonem sumentem me in magno sacramento figurabat. Prophetia eventum præcessit; me intuebatur Isaias sicut me nunc videtis dexteram extendentem et oribus vestris admoventem panem vivum. Forceps dextra mea est; locum teneo Seraphim; *carbo corpus meum est*; vos omnes Isaias estis; altare hæc mensa est, templum cœnaculum, Dominus ego. Ecce prophetia adimpleta. Olim Isaias de Spiritu meo accepit et de me locutus est. » Visionem Isaiæ eodem modo explicat *In Commentario ad Is. VI*: « Carbo Emmanuelem significat, qui, dum corpori nostro unitus fuit, in eodem corpore tanquam

¹ *Opp. Syr.-lat.* II, 542, sqq.

forcepe apprehensus est. Forceps autem, quum labia prophetæ tetigisset, eundem ab iniquitate et immunditia purgavit. » In hymno 16 *De azymis* Ephræmus Christum appellat « *ⲕⲁⲣⲃⲟⲛ* carbonem ignis. » In *sermone de Domino* p. 256 : « Sanctus quippe carbonem occultavit se sub indumento carnis. » Visionem Isaiæ explicans Jacobus Sarugensis « Carbonem » de corpore Christi in Eucharistia interpretatur. Hinc usus apud Syros ut particulæ consecratæ *Carbones* *ⲕⲁⲣⲃⲟⲛ* appellentur¹.

Particulas consecratas fideles olim manu accipiebant, non ore ut hodie fit. Usus tamen, quo Eucharistia in ore accipitur, apud Syros jam tempore Ephræmi invaluisse ex verbis mox citatis colligi posse videtur, siquidem, juxta diaconum Edessenum, Christus particulas consecratas Apostolis in os porrexit : « Sicut me, inquit, nunc videtis dexteram extendentem et *oribus vestris admoventem panem vivum.* » Adhuc sæculo VII Jacobus, Edessæ episcopus, hoc permittit infirmis : « Ægrotus qui communicat, si velit, *ore suo illam* (particulam consecratam) *recipiat*, et, si malit, manu sua illam sumat, et ponat in ore suo, et si is non possit, ille qui defert, manu sua illam apprehendat eumque

participem faciat. » Joannes Barabgarus pro Nestorianis sæculo IX præcipiebat : « Ne particulam manu ori inferat, sed ore capiat quia cœlestis est cibus². »

Hæc utique abunde demonstrant Ephræmi fidem de præsentia re-^{Kohlius}acti; attamen, sæculo elapso, Joannes Kohlius, in Academia Petropolitana professor, editis slavonice duobus sermonibus de *sacra cœna* Ephræmi nomine inscriptis, contendit S. Ephræmum cum Lutheranis sentire panem in Eucharistia cum Christi corpore componi, idque colligit præcipue ex subjecta prioris sermonis periocha : « Corporibus carentes Seraphim ardentibus carbonibus Isaiam sanctificabant. Ignis vero non unam habet naturam, sed duplicem; ligno enim constat et flamma : non aliter sacer panis non ex una panæ natura constat, sed et ex divina; corpus enim, quod unius naturæ est cum divina, non una natura gaudet sed duplici. » Unde concludit a S. Ephræmo explosam fuisse catholicæ Ecclesiæ de substantiali elementorum transmutatione doctrinam. At non advertit Kohlius se ex contexta oratione prorsus confutari quum Ephræmus dicat : « Ne reputes quem hic panem, quodque vinum vides, eadem hæc existere : minime, frater,

confutatur.

¹ Vid. infra p. 419, not. Auctor *Quest. ad Orthod.* 44, et S. Joan. Damasc. *De fide Orth.* IV, 43 Eucharistiam carbonem appellant.

² Cfr. Mea *Dissertatio De Syrorum fide in Re eucharistica.* Lovan. 1859, p. 187.

nolito hoc credere. Precibus sacerdotis sanctique Spiritus adventu panis fit corpus, vinum fit sanguis. » Et adhuc : « Cum voluerit supra omnia venerandus Deus Verbum homo nasci, quomodo is, quæso, efficere non possit, ut panis ipsum corpus Christi, vinum sanguis ipsius sit? » Quod autem Kohlium magis adhuc confutat illud est, quod verba ab ipso allata non Ephræmi sed S. Joannis Damasceni sunt. Leguntur enim in opere de *Fide orthodoxa* lib. IV, c. 14. Sed versio slavica verba pervertit. Ex duobus porro slavonicis sermonibus neuter Ephræmum auctorem habet, ut invicte demonstravit P. Benedictus¹.

Nec objiciat quis ea quæ leguntur in sermone græco *De iis qui Filii Dei naturam scrutantur* : « Attende quomodo panem benedixit, ac fregit, in figuram immaculati sui corporis². Nam figura ibi notat sacramentum, species sacramentales, et non tollit realitatem, ut patet ex iis quæ S. Doctor subjicit : « Esto fidelis et innocens. Participa immaculatum corpus et sanguinem Domini tui fide plenissima, certus, quod agnum ipsum integre comedas³. »

Panis
azymus a
Christoad-
hibitus.

Panem et vinum esse Eucharistiæ materiam Ephræmus multoties asseruit. Sed quæritur an juxta S.

Doctorem Christus in azymis vel in fermentato pane consecraverit? Huic quæstioni respondemus : Christum, juxta S. Ephræmum, pascha legale Judæorum die 14^a mensis Nisan ad vesperam quæ vergit in diem 15^m cum azymis celebrasse et, post celebratum pascha illud, sacramentum Eucharistiæ instituisse adeoque panem azymum adhibuisse. Etenim in *sermone* II, infra p 371, dicit : « Quum advenisset dies azymorum, pascha legalis populi, eo ipso advenit dies, in quo Dominus sacramentum consummaturus daturus erat Ecclesiæ corpus suum mox in sacrificium offerendum, in quo etiam mixturus erat calicem sanguinis sui pro nobis effundendi. » Deinde narrat Petrum et Joannem missos a Salvatore ut pararent pascha quo pascha Ægypti aboleretur. « Vespere facto, inquit, discubuerunt omnes, Dominus noster et duodecim ejus apostoli... *In prima paschatis vespera, qua numerari incipiebant septem dies paschales, Jesus recubebat in cœnaculo cum duodecim discipulis suis. In hujus paschatis vespera cœnaculum Ecclesia fuit; mensa sacrum altare; sacerdotes apostoli; accumbentium caput ipse Jesus oblatio et offerens, discipuli ejus comestores. Hi sacrificium mira-*

¹ Vid. *Antirrheticon adv. Joan. Kohlium* ordinarie tomo II. Opp. Syr. conjunctum.

² Opp. græc.-lat. III, 425.

³ Cfr. Gerardus Vossius, *Ephræmi opp.* t. III, p. 184.

bantur, viso novo paschate; nunquam simile quid comederant. » In *Sermone* IV, n. 7 ait : « Jussit Dominus ut luna decima quarta Nisan synagoga immolaret agnum et quotannis azyma conficeret; in vespera hujus paschatis imposuit Ecclesiæ suæ legem ut memoriam faceret agni Filii Dei nostri, qui antequam pro nobis occideretur corpus et sanguinem suum dedit. In illa vespera, in qua azymis utebantur Judæi, Ecclesiam constituit hæredem sanguinis sui. » In *Hymno Azymor.* XIX : « Pascha mac-tavit (Christus) et manducavit, deinde fregit corpus suum; umbram abolevit et dedit veritatem. In azymis azymum¹ manducavit. Verus noster panis azymus fuit corpus ejus. » In hymno III. *De crucif.* ait : « *Decima quarta occisus fuit agnus paschatis inter vespertas, ut scriptum est. Agnus veritatis... die decima quinta occisus, diei lucem cum noctis luce conjunxit. Beata es, o vespera ultima, quia vespera Ægypti in te completa fuit : Dominus noster in te manducavit pascha parvum et factus est sibimetipsi pascha magnum, pascha in paschate, festum in festo insertum fuit. » Ex his*

¹ « In azymis azymum manducavit. » Phrasis obscura; putaverim illius sensum esse : « In pane azymo manducavit azymum sui corporis, id est manducavit corpus suum purissimum, quod pani azymo comparatur quia fermento peccati nunquam fuerat infectum. Certe Dionysius Barsalibæus docet Ephræmum in hanc fuisse sententiam quod Chris-

testimoniis consequitur Jesum pridie quam pateretur pascha legale Judæorum cum azymis perfecisse, adeoque et Eucharistiam in pane azymo instituisse, quum omnis fermentatus panis fuerit tunc a domibus remotus. Hæc est conclusio quam S. Joannes Maro vel quisquis est auctor *Expositionis ministerii oblationis S. Jacobi* exinde deducit : « Si legale pascha Dominum celebrasse concedant, omni procul dubio fateantur necesse est, in azymis illud celebrasse; legale enim pascha sive anticipetur sive protrahatur, nonnisi in azymis perficitur, quemadmodum in *Numerorum* libro præscribitur. Perfecit igitur Dominus noster corporis sui mysterium in azymo, minime autem in fermentato². » Scriptor Persa Aphraates, Ephræmo paulo antiquior, etiam docet Christum pascha cum discipulis comedisse in nocte diei decimæ quartæ, deinde Eucharistiam instituisse³.

Sæculo V in urbe Edessa Eucharistia in pane azymo conficiebatur, quod Maronitæ et Armeni ab antiquo usque hodie observant. Hoc colligitur ex *Epistola* S. Rabulæ, episcopi Edesseni, ad Gama-

tus in ultima cœna suum corpus manducavit. Vid. meam dissertationem *De Syrorum fide*, p. 39.

² S. Joan. Maro *Expos. minist. oblat.* C. XVI-XIX, app. al. Assemanum. *Cod. lithurg.* V.

³ *Dissert. XIV de paschate* ap. Wright, *Aphraates homilies*, Lond. 1869.

tum. « Quum, Jesus panem undecim absque discrimine distribueret, inquit S. Doctor, accessit Judas ut acciperet sicut acceperant socii ejus qui accesserant, sed Jesus intinxit panem in aquam, eum consecratione destituit, et hac ratione buccellam Judæ distinxit. Exinde Apostolis notum fuit Judam esse qui Jesum traditurus erat. Intinxit igitur panem Jesus ut consecratio auferretur et dedit Judæ. Judas non manducavit panem consecratum neque ex calice vitæ bibit. Ex intincto pane cognovit se vita dignum non fuisse habitum, idcirco ira abreptus separavit se, nec bibit e calice sanguinis Jesu, sed ivit ad crucifixores. » Ita S. Doctor *Serm.* IV, n. 6. Eadem sententiam memorat *Hymn. azymor.* XIV, 13-18 ; XVIII, 16-17 ; *Evang. concord. exposit.* p. 222.

Patres Græci et Latini, ut SS. Hieronymus, Augustinus, Leo, Cyrillus Jerosolymitanus, Chrysostomus, Cyrillus Alexandrinus, communiter tenent Judam institutioni Eucharistiæ interfuisse et corpus ac sanguinem Salvatoris ex ipsius manibus accepisse. Non desunt tamen Patres et interpretes qui velint Judam sacramenti vivifici non fuisse participem. Ita sentiunt, ut dixi in nota p. 423,

S. Hilarius in *Matth.* 30, 2 ; Victor capuanus in *Harmon. evang.* ap. Migne ; *Patrol. lat.* 68, col. 340 ; Rupertus in *Joan.* VI, 51 ; Innocentius III, *De sacrō altar. myst.* IV, 13 ; *Constit. apost.* V, 14. Apud Syros Aphraates *Dissert.* XII de Paschate¹ docet Judam Eucharistiæ non fuisse participem : « Salvator noster, inquit, comedit pascha cum discipulis suis in nocte decimæ quartæ diei et sacramentum veri paschatis tradidit eis. *Postquam exivit ab eis Judas, accepit panem et benedixit ac dedit discipulis suis.* » Diversas Syrorum de hac re sententias sic exponit Gregorius Barhebræus Jacobitarum maphrianus : « Dominus Ephræm et Dominus Jacobus dicunt quod Dominus participem effecit Judam panis consecrati, sed postquam panem benedictione privasset eum in aquis intingendo. Sanctus autem Severus et Joannes (Chrysost.) dicunt Christum ei præbuisse panem sanctum consecratione non destitutum. Sanctus Philoxenus dicit non præbuisse ei quia jamdiu invaserat eum Satanas et idcirco nos non præbere communionem energumenis. Denique David, Pauli filius, dicit Christum ei præbuisse particulam consecratam et non intinctam, at Judam ex defectu fidei eam ut me-

¹ Ap. Wright *The Homilies of Aphraates,*

London, 1869, p. 151.

rum panem comedisse¹. » Ephræmi opinio, quantumvis singularis, in fidem catholicam non impingit,

sed facit ad stabiliendam sermonum et hymnorum quos vulgamus authenticam.

¹ *Gregorii Abulfarag Bar Elraya in Evang.*

Matt. scholia e recognitione J. Spanuth. Gottingæ, 1879, p. 79, syriace.

MONITUM

IN HYMNOS S. EPHRÆMI DE EPIPHANIA.

Isti Hymni numero quindecim descripti sunt e duobus codicibus Musæi Britannici, excepto ultimo hymno, qui e breviario Maronitarum, ut suo loco dicitur, editus est. Prior codex (*add. manusc.* 14,506), ad sæculum IX vel X pertinens, continet hymnos 2-4, 6-10, 15 inde a fol. 166, b ad 183, b. Textus noster hunc codicem sequitur pro hymnis enumeatis, si quando ab eo discedimus, in nota indicatur. Hunc codicem designavimus littera A. In eodem volumine fol. 115-118 alia manu, ut videtur sæculi IX, descripti leguntur hymni 2-4, 8-10. Variæ inde lectiones appositæ sunt sub littera C.

Alter codex, quem littera D designavimus, est *add. man.* 14,512, ad sæculum X referendus. Is Ephræmo adscribit eosdem hymnos ac codex A, sed insuper alios quinque addit. Illius ordinem secuti sumus in disponendis hymnis, et textum exscripsimus pro hymnis in cod. A omissis. Pro aliis vero hymnis ejus varias lectiones littera D designavimus.

Littera B designatur codex *add. manusc.* 14,520 sæc. VIII. Is codex Ephræmo adscribit hymnos sexdecim de Epiphania qui legun-

